THEOLOGIA MORALIS

B. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

EPISCOPI S. AGATHAE GOTHORUM

AC FUNDATORIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS
IN INSTITUTIONES REDACTA

Ad usum studiosae juventutis ipsius praesertim Congregationis.

A BLASIO PANZUTTI

EJUSDEM CONGREGATIONIS PRESBYTERO.

Adjectis permultis qua ad dogmata, qua ad praxim, qua ad eruditionem pertinentibus

VOLUMEN IV.

Complectens tractatus de reliquis Sacramentis, idest Poenitentiae, Extremae unctionis, Ordinis, et Matrimonii; nec non de Censuris.

NEAPOLI MDCCCXXIV.

EX TYPIS JOANNIS DE BONIS.

Publica Auctoritate.

Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. Malach. 5.

Sunt in nobis, qui timorem Dei habent, sed non secundum scientiam, statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi opus virtutis exigere. Sed inscientia in eo est, quia non compatiuntur naturae, nec aestimant possibilitatem.

S. Ambros. in Ps. 118. serm. 5.

CONSPECTUS

HUJUS QUARTI VOLUMINIS.

LIBER VI.

TRACTATUS V.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Pag.

CAP. I. *De definitione, institutione, et veritate hujus Sacramenti* 1

CAP. II. *De materia remota, et proxima Sacramenti Poenitentiae* 11

CAP. III. *De contritionis speciebus; nec non ejus necessitate, ac praecepto* 27

CAP. IV. *De iis, quae apposite ad traditas doctrinas de contritione habenda sunt prae oculis in audiendis Confessionibus eorum, qui versantur in proxima peccandi occasione; nec non habitualorum, et recidivorum* 50

CAP. V. *De Confessione, et praecise de ejus necessitate tum de jure Divino, tum de jure Ecclesiastico, integritate, et objecto* 68

CAP. VI. *De 3. parte Sacramenti Poenitentiae, idest de Satisfactione. Et 1.° de Satisfactione Sacramentali* 93

CAP. VII. *De Satisfactione per Indulgentias : ubi etiam pauca de Jubilaeo* ... 102
CAP. VIII. *De adjunctis Sacramento Poenitentiae. Et* 1.° *de jurisdictione Confessarii*..... 113
CAP. IX. *De casuum reservatione*..... 128
CAP. X. *De obligationibus Confessarii*..... 154
APPENDIX. *De Confessariis sollicitantibus*..... 168

TRACTATUS VI.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

CAP. UNICUM. *De institutione, et veritate hujus Sacramenti; nec non ejus effectibus, materia, forma, Ministro, subjecto, et necessitate*..... 175

TRACTATUS VII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAP. UNICUM. *De veritate hujus Sacramenti; numero Ordinum, eorumque Ministro, materia, et forma; aliisque demum quoad illud scitu necessariis*..... 187

TRACTATUS VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Cap. I. *De praeambulis ad Matrimonium; id-est Sponsalibus* 211

Cap. II. *De ratione, ac veritate Sacramenti Matrimonii, ejusque materia, forma, ac Ministro* 223

Cap. III. *De usu Matrimonii* 234

Cap. IV. *De indissolubilitate Matrimonii; causisque divortii quoad thorum* 247

Cap. V. *De Matrimonii impedimentis* 262

Cap. VI. *De Matrimoniorum irritorum revalidatione* 292

LIBER VII.

DE CENSURIS.

TRACTATUS UNICUS.

Cap. I. *De censuris in genere, ac de absolutione ab iisdem* 307

Cap. II. *De censuris in specie. Et* 1.° *de excommunicatione; ejus nempe notione, speciebus, effectibus; deque lata in percussores Clericorum* 321

Cap. III. *De suspensione: ubi etiam de Degradatione, et Depositione* .....

Cap. IV. *De interdicto: ubi etiam de cessatione a Divinis* 344

Cap. V. *De irregularitate* 351

TRACTATUS V.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

CAPUT I.

De definitione, institutione, et veritate hujus Sacramenti.

212. Et 1.° definitur *Sacramentum a Christo Domino institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa per actus poenitentis, et absolutionem Sacerdotis.* Vel etiam: *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo vere poenitentibus, et confessis remittuntur peccata post Baptismum commissa per absolutionem Sacerdotis.* Dicitur *vere poenitentibus*; nam sicut Christus naturalem Matrimonii contractum evexit ad rationem Sacramenti, ita et Poenitentiae virtutem: ex quo sequitur, quod sicut Sacramentum Matrimonii est irritum, si contractus per legem naturalem, vel Ecclesiasticam sit invalidus, ita et Sacramentum Poenitentiae, si desit vera Poenitentia. Haec autem definitur: *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero.* Vel etiam: *Virtus moralis infusa, qua offensam Dei cum peccati odio, ac summo animi dolore detestamur. Infusa*; habetur enim Jer. 31.: *Postquam convertisti me, egi poenitentiam.* Et Act. 5. *Jesum.. Deus exaltavit dextera*

sua ad dandam poenitentiam Israeli. Et c. 11.: *Ergo et Gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam.* Quibus accedit et definitio Trid. sess. 6, can. 3.: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*: et ratio, cum enim poenitentia sit dispositio ad justificationem, supernaturalis proinde esse debet, quemadmodum justificatio. Infusa autem, idest supernaturalis esse debet tum ratione principii, et ex dictis, et quia pugnat in terminis, ad id, quod est supernaturale, uti est justificatio, naturae viribus pervenire: tum ratione motivi, quia actus humani a motivis speciem desumunt, ideoque ut poenitentia sit supernaturalis, ejus quoque motivum esse debet supernaturale. Porro a Deo infunditur ante justificationem non quoad habitum, quia virtutes morales non infunduntur ante gratiam sanctificantem, et charitatem, utpote illarum appendices, sed quoad actum, quatenus, ut ait idem Trid. *sess.* 14. c. 4., peccator movetur ad poenitentiam per gratiam Spiritus Sancti, nondum quidem inhabitantis, sed assistentis, et disponentis ad justificationem. In ipsa vero justificatione a Deo infunditur quoad habitum, ut cum Ezechia, Rege jam justo, et Sancto, dicat: *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animae meae* (Is.38.); studeatque, prout Baptista Judaeos hortabatur, facere fructus dignos poenitentiae, ac Divinae ejus Justitiae, ut par est, satisfacere. *Qua offensam Dei*, quia poenitentia, utpote quaedam species justitiae, est ad alterum, tenditque ad abolendam offensam alteri illatam. Hinc (quod probe reco-

lendum) dolere praecise, quia turpe est, nos peccasse, et indè confundimur, vel quia animadversione sumus digni, nulla ratione habita offensae Dei, non est actus virtutis Poenitentiae, ut advertit Habert, sed amoris privati. Qua super re advertit quoque Lig. *in praxi Conf.* §. 2. n. 10., nec etiam actum simplicis attritionis fieri ab eo, qui se poenitet meruisse Infernum; necesse enim est ad actum attritionis, quod se poeniteat offendisse Deum, propter quod meruit Infernum. *Cum peccati odio*, quo enim modo absque peccati odio haberi potest conversio ad Deum, cui *similiter odio sunt impius, et impietas ejus* (Sap. 14.)? *Et summo animi dolore detestamur*, cum enim Scripturae de poenitentia loquuntur, nunc eam reponunt in *tota tribulatione animae* (*Deut.* 4.); nunc inquiunt, *cor peccatoris esse scindendum* (*Joel.* 2.); nunc ajunt, quod convertendus est ad Deum *in jejunio, in fletu, et in planctu* (*ibid.*); nunc quod ejus luctus comparari debet *luctui unigeniti* (*Jer.* 6.): quae omnia intimum, ac summum animi dolorem significare, nemo est, qui non videat. Quod confirmatur, quia ut poenitentia sit vera, omnem peccandi voluntatem debet excludere: utque hujusmodi sit, debet poenitens sic animo affici erga peccatum, ut potius in omni casu malum quodcumque eligat, quam Dei offensam. Etsi autem dolor, et detestatio idem non sint, tum quia dolor est de malo, ut praesenti, detestatio vero de malo, ut praeterito; tum quia Beati, qui aliquando peccaverunt, habent peccatorum suorum detestationem, non vero dolorem, utpote qui actus cordis inquieti, turbati, et anxii, at damnati

e contrario habent illorum dolorem, non vero detestationem, utpote quorum voluntas est in malo obfirmata: in praesenti tamen statu non potest quis vere dolere de peccato, quin illum detestetur, nec vere hoc detestari, quin de illo doleat; ideoque dubitandum non est, ut sapienter Lig. advertit n. 435., quod revera in uno alterum exercite contineatur.

213. Haec igitur definitio Sacramenti Poenitentiae, quidque haec significet. Vocatur autem Sacramentum Poenitentiae, tum quia non aliud, nisi ipsa poenitentiae virtus evecta ad rationem Sacramenti; tum quia illius partes, de quibus infra dicetur, poenam habent, nam contritio habet dolorem, confessio ruborem, satisfactio molestiam: ac tunc praecipue illud Christus instituit, ut ait Trid. *sess.* 14. *de Poen. c.* 1., cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum*; *quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis*, *et quorum retinueritis*, *retenta sunt* (*Jo.* 20.). Ait vero *praecipue*, tum quia praecesserat promissio Petro facta *Matth.* 16., quod ei daturus esset *claves Regni Coelorum*, et discipulis *Matth.* 18., quod quaecumque essent ligaturi, vel soluturi in terris, fuissent quoque ligata, vel soluta in Coelis; tum quia in ultima Coena, inchoative iis dederat illam potestatem, eos nempe in Sacerdotes ordinando illis verbis, ut definiit idem Trid. sess. 22. can. 2.: *Hoc facite in meam commemorationem*; impressio enim characteris Sacerdotalis erat inchoatio potestatis ad remittenda peccata. Ex quo factum, quod etiamnum in Ecclesia adaequata potestas remittendi peccata divisibiliter confertur, nimirum 1.° *inchoative*, quando

accipitur potestas in Corpus Christi verum; ac postmodum *completive* per impositionem manuum Episcopi, adjunctis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis ec.*: per quam ultimam partem Ordinationis Sacerdotalis vel augetur character, ut quidam docent, vel idem character extenditur ad Corpus Christi mysticum, ut docent alii.

213. Hujus porro Sacramenti hostes fuerunt 1.° Montanistae, dicti etiam *Cataphryges* a Provincia Phrygiae, e qua Montanus prodiit, ac *Pepuziani* a vico Pepuzae, ubi conventus suos celebrabant, qui distinguentes inter peccata graviora, idololatriam nempe, homicidium, et moechiam, et peccata minus gravia, priora ajebant, esse veluti casus Divinae clementiae reservatos, quia de iis venia obtineri poterat a Deo tantum lacrymis, jejuniis, aliisque carnis afflictionibus, non vero remitti poterant ab Ecclesia. 2.° Novatiani, qui et praefata peccata, et, D. Ambr. teste *l.* 1. *de Poen. c.* 3., omnia etiam peccata post Baptismum commissa dicebant ab Ecclesia irremisibilia, ac soli Deo reservabant hujusmodi criminum remittendorum potestatem. 3.° Lutherani, et Calvinistae, tribuentes soli fidei, quod peccata non imputentur, nec aliam ajentes esse absolutionis sententiam, quam Sacerdos profert, nisi nudum ministerium, quo Minister declarat, peccata esse remissa: contra quos proinde Trid. sess. 14. can. 9.: *Si quis* (inquit), *dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, anathema sit.*

214. Quod tamen Christus contulerit Ecclesiae potestatem remittendi cujuscumque generis peccata, eaque vere remittendi, non vero tantum declarandi esse remissa, atque hinc veritas Sacramenti, de quo agimus, probatur, quia, ut legitur Matth. 16., indefinite, et absolute promisit Petro, se illi daturum Claves Regni Coelorum, ut quod ligasset, vel solvisset super Terram, fuisset quoque in Coelis ligatum, vel solutum; quod deinde, ut legitur c. 18., omnibus quoque Apostolis promisit; ac demum, ut legitur Jo. 20., post Resurrectionem suam implevit illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Porro quod haec potestas ad cujuscumque generis peccata se extendat, ex eo patet, quod nullum excipitur. Quod vero non fuerit nudum ministerium, ut haeretici inquiunt, declarandi, peccata esse remissa, aperte ostendit tum quod non ait Christus: *Quod solutum ostenderitis etc.*, sed ait: *Quodcumque solveritis, erit solutum*: tum quod illam Apostolis contulit eodem modo, quo ipse illam a Patre acceperat; cum enim dixisset: *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos*, pergit Evangelista: *Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum S.. Quorum etc.* Christus autem potestatem a Patre acceperat, non declarandi tantum, peccata esse remissa, sed vere, et proprie remittendi; cum enim, ut habetur Lucae 5., Paralytico dixisset: *Remittuntur tibi peccata*, iisque verbis Pharisaei de eo scandalizati: *Quis est hic* (clamassent), *qui loquitur blasphemias? Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* utique profecto, quia

non tantum declaraverat dimissa illius peccata, quemadmodum Nathan Davidi, sed quod sibi arrogasset potestatem, quae solius Dei est: Christus tam singularem potestatem sibi a Patre collatam, nedum non negavit, sed et miraculo confirmavit, dicens: *Ut autem scialis, quia Filius hominis habet potestatem in Terra dimittendi peccata, ait Paralytico: Tibi, dico, surge.*

215. Accedunt D. Hilarius, et Bernardus, docentes, *sententiam Petri praecedere sententiam Coeli*; quod verum non esset, si Petrus solum declararet, peccata in Coelo esse jam dimissa. D. Aug. ep. 228. de fuga in persecut., ubi ait, *defectu absolutionis periclitari hominum salutem*; quae in tuto esset, si absolutio esset tantum juridica declaratio, esse a Deo dimissa. Sicque et alii expresse ajentes, per Sacerdotes vere remitti peccata; ex quibus ita Chrysost. l. 9. de Sac. *Haud purgare, sed purgatos probare* (a corporis lepra) *Judaeorum Sacerdotibus licebat. At vero nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animae sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*

216. Objiciunt quidem Montanistae, ac Novatiani 1.° illud Ap. ad heb. c. 6. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt donum coeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.* Respondetur tamen intelligendum id esse de Baptismo, qui dicitur ab eodem Ap. ep. ad Tit. c. 3. Sacramentum illuminationis, et renovationis, quodque rursus suscipi, ac iterari nequit; quasi Ap. falsam Judaeorum opinio-

nem refellere voluerit, dicens: Ne existimetis, Judaei, baptisma Evangelicum simile esse baptismatibus legalibus, quae toties in Lege Mosaica repetere licebat, quoties aliquis nova immunditia contaminabatur; Baptisma quippe Evangelicum est quaedam Divina regeneratio; ex quo sequitur, quod sicut homo semel nascitur, ita semel in Christo renasci potest. Objiciunt 2.° quod ibid. Ap. ait c. 10: *Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quaedam expectatio judicii.* Ad quod resp., ibi sermonem fieri de Apostatis, pro quibus non relinquitur hostia, nam ut dicitur Jo. 3., *qui non credit, jam judicatus est:* quod probatur, tum quia totus est Apostolus in hac epistola, ut haebreos confirmet in fide suscepta, et a Judaismo revocet; tum quia loquitur de iis, ut ex contextu patet, qui Sanguinem Testamenti, idest Christi pollutum ducunt. Hi autem qui, nisi Apostatae, qui a Christi fide deficientes, illum habent pro criminibus suis juste damnatum? Objiciunt 3.° peccatum contra Spiritum Sanctum, de quo ait Christus Matth. 12. quod *non remittitur neque in hoc saeculo, neque in futuro*: nec non peccatum ad mortem, de quo ait Jo. ep. 1. c. 3., quod *pro illo nemo roget.* Resp. tamen quod utrumque dicitur hujusmodi, quia difficilis veniae: non enim Scripturae possunt sibi contradicere; utque diximus n. 214., indefinite, et absolute ait Christus Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quibus omnibus testimoniis unica etiam responsione satisfieri potest, dicendo scilicet, iis si-

gnificari ; quod relabentibus in peccata denegat demum Deus poenitentiae donum : ex quo sequitur, quod eorum peccata fiant irremisibilia, non quidem ex defectu potestatis Ecclesiae, sed ex defectu peccatoris, quem cum numquam peccatorum suorum poeniteat, sicut oportet, numquam etiam eorum veniam per Sacramentum Poenitentiae consequi poterit. Caeterum nullum, absolute loquendo, extare peccatum, quod sit irremisibile, rursum constare dicimus ex verbis supra relatis n. 214; quare et ipse Paulus, ut habetur 2. *ad Cor.* 2., restituit Ecclesiae post duram poenitentiam, ut habetur 1. *ad Cor.* 3., Corinthium, horrenda ipsis Gentibus fornicatione pollutum, cum uxore scilicet patris sui : et ipse Joannes, ut refert Clemens Alex. ap. Euseb. *l.* 3. *hist. c.* 23., idem egit cum juvene perditissimo, qui post baptismum latronum ducem se constituerat.

217. Lutherani vero, et Calvinistae his, quae ex Chrysost. diximus n. 215. opponunt aliorum PP. testimonia, quod Sacerdotes Novae legis plus non possunt erga peccatores, quam Sacerdotes legis veteris erga leprosos, quos mundos, vel immundos declarabant, non mundabant. Contra id vero, quod deprompsimus ibidem ex D. Aug., objiciunt aliud ejusdem testimonium ex *serm.* 67., ubi S. D. ait, plus eos non posse, quam Apostolos erga Lazarum quatriduanum, quem tunc solvere potuerunt, cum jam a mortuis fuisset suscitatus, et foras prodiisset vivus. Resp. tamen id dixisse hoc sensu, quod nequeunt Sacerdotes pro libito a peccati lepra mundare quos voluerint, sed eos tantum, quibus Deus donum poe-

nitentiae concedere dignatus fuerit. In quo sensu intelligendus quoque est D. Aug., quod nempe sicut Apostoli frustra cadaver Lazari solvissent, nisi prius Christus magna voce clamasset: *Lazare, veni foras*, eique vitae spiritum reddidisset, quod non erat virtutis Apostolorum, sed Omnipotentiae Divinae; ita frustra manus Sacerdotis peccatores solvere praesumeret, nisi prius Deus iis dixerit efficaciter: *Convertimini ad me in toto corde vestro.*

218. Nemo tamen haereticorum horum errorem confundat cum sententia Magistri Sententiarum *l.* 4. *Dist.* 18.; cui adhaeserunt quoque D. Bonav. *in* 4. *art.* 2. *q.* 1., aliique, praesertim ante Trid. scribentes, quod ad Sacramentum Poenitentiae requiratur contritio charitate perfecta, quae justificat ante Sacramentum, ideoque semper peccatum remissum esse, priusquam Ecclesiae clavibus subjiciatur; nec aliud absolutionem esse, nisi tantum sententiam declaratoriam remissionis peccatorum. Fatentur enim omnes hi TT. 1.°, Sacerdotes in Tribunali Poenitentiae, nedum esse Divinae clementiae praecones, sed Judices agere, et judicio declarare, peccata essa remissa. 2.° quod contritio quantumvis perfecta non delet peccata, nisi cum voto suscipiendi Sacramenti, seu in ordine ad claves Ecclesiae. 3.° quod absolutio producit augumentum gratiae sanctificantis, quae omnia ab haereticis negantur. Quamvis caeterum hujusmodi opinio confundenda non sit cum Lutheranorum errore, nec proinde dici possit a Trid. proscripta, ut prae aliis testatur Card. Pallavicinus in *hist. hujus Conc. l.* 10. *c.* 12., nequit simul negari, quod non satis cohereat cum doctrina

ipsius Trid., quodque communiter rejiciatur, ut temeraria, et erronea, quemadmodum eam sua censura confixit Facultas Parisiensis *die* 1. *Jul.* 1638. ap. Lig. l. 6. n. 442.: sicut etiam, ut cuivis consideranti fit perspicuum, quod fere ea ipsa, quibus illorum error refellitur, praefatam quoque sententiam afficiunt.

219. Postquam autem hujus Sacramenti veritatem ab haereticorum erroribus vindicaverimus, videamus modo pro coronide hujus capitis, quomodo omnia ad Sacramentum requisita in eo habeantur. Dicimus itaque, quod si in eo habetur ritus sensibilis, gratiae per illum collatio, ac Christi institutio, habetur quoque in eo omnis Sacramenti ratio, ideoque dicendum est Sacramentum. Habetur autem in eo *ritus sensibilis*; peccatorum scilicet accusatio cum doloris significatione ex una parte, et ex altera exterior Sacerdotis sententia illa seu remittentis, seu retinentis. *Gratiae per illum collatio*, non enim peccata remittuntur, ut definit Trid. *sess.* 6. *can.* 11., nisi per infusionem gratiae, utpote *in qua*, ut ait Ap. ad Eph. 1., *gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo* etc. *Christi institutio*, ut patet ex ipsius verbis relatis n. 214. Patet ergo propositum.

Caput II.

De materia remota, et proxima Sacramenti Poenitentiae.

220. Duplex, ut diximus n. 9., Sacramentorum materia distinguitur, ideoque etiam materia Sacra-

menti Poenitentiae, remota nempe, et proxima. Remota autem subdistinguitur in *necessariam*, estque *omne peccatum mortale post baptismum commissum, et non confessum*: in *sufficientem*, *sed non necessariam*, estque *omne veniale post baptismum commissum*, *vel etiam mortale alias rite confessum*: ac demum ab iis, qui ajunt, peccata etiam dubia esse necessario confitenda, in *necessariam*, *sed non sufficientem*, quia sola peccata dubia sine additione materiae certae non sufficiunt pro obtinenda absolutione absoluta. Quod vero quis non responderit Divinis inspirationibus, non fecerit bonum, quod poterat, aliaeque id genus imperfectiones, non sunt prorsus ejus materia, saltem certa. Hinc autem sequitur, quod, lethalia esse materiam necessariam Sacramenti Poenitentiae, non colligitur praecisae ex illis verbis: *quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis*, vel ex illis: *quaecumque solveritis super Terram erunt soluta et in Coelis*, cum per Sacramentum Poenitentiae remittantur etiam venialia, quae tamen non sunt ejus materia necessaria; sed ex verbis immediate sequentibus: *Et quorum retinueritis*, *retenta sunt*. *Et quaecumque alligaveritis super Terram*, *erunt ligata et in Coelis*. His enim verbis declaravit Christus, quaedam esse peccata, quae nisi in Terra dimittantur, et solvantur, numquam dimittenda, ac solvenda sunt in Coelis. Haec autem peccata venialia esse nequeunt, si enim justus decedet cum peccatis mere venialibus nondum per Ecclesiae claves dimissis, ac solutis, de iis tamen a Deo dimittetur, ac solvetur: illis ergo verbis: *Et quorum retinueritis etc.*, *et quaecumque alligaveritis etc.*, de

peccatis lethalibus Christus loquitur; quae proinde esse materiam necessariam Sacramenti Poenitentiae, consequens est.

221. Hujus vero Sacramenti materia proxima sunt, ut declaravit Trid. sess. 14. c. 3., *ipsius poenitentis actus*; nempe contritio quae ab ipso Trid. definitur ibid. c. 4. *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero*; confessio, et satisfactio: qui tamen cum non sint materia, quae physicè percipiatur, dicuntur proinde a Conc. ejus *quasi materia*, atque etiam *Poenitentiae partes*; ex quibus *contritio*, et *confessio* essentiales sunt; actualis vero *satisfactio* tantum integralis, unde aegrotus sensibus destitutus absolvitur absque satisfactione. Ratio autem est, quia Christus instituit hoc Sacramentum ad modum judicii reconciliativi, quod scilicet directum est, non ad puniendum, sed ad absolvendum reum. Haec autem absolutio nec esse, nec concipi potest, nisi reus inique se egisse fateatur, et inde dolere se ostendat, quamdiu enim proterve se excusat, defenditque quod gessit, nec pravum mutat consilium, nedum sibi animum personae laesae non conciliat, verum etiam illum a se magis avertit, et accendit: contritio igitur, et confessio partes hujus Sacramenti essentiales dicendae sunt. Quia vero absque actu satisfactionis bene et esse, et concipi potest judicium reconciliativum, bene enim persona laesa oblatam a reo satisfactionem potest remittere, nec aliud exigere praeter dejectum ipsius animum, quam in humili sui criminis confessione, et detestatione exhibet, hinc actualis satisfactio non est ejus pars essen-

tialis, sed tantum integralis. Votum vero, seu voluntas satisfaciendi essentialis a DD. dicitur, cum includatur in proposito servandi omnia legis praecepta, quorum unum est dignos poenitentiae fructus facere.

222. Ex tradita autem doctrina Trid. sequitur 1.°, quod ubi in aliis Sacramentis, etiamsi suscipiens careat dispositionibus ad Sacramentum licite suscipiendum, istud tamen est validum, quia dispositiones ad Sacramentum licite suscipiendum non sunt materia aliorum Sacramentorum; ac peccat tantum peccato sacrilegii, quia Sacramentum indigne suscipit: in Sacramento tamen Poenitentiae, si illud suscipiens non est dispositus per supradictos actus, nec licite, nec valide suscipit Sacramentum, quia deest ejus materia; ac peccat peccato sacrilegii, non quia Sacramentum indigne suscipit, cum omnino desit Sacramentum, sed quia illud subjicit nullitati, ac veluti irrisorie suscipit. Sequitur 2.°, quare peccatum, etsi remissum, semper tamen esse possit sufficiens Confessionis materia, ut diximus n. 220., et certum est ex *Extrav.* 1. *de Privil.* §. *verum*, *in fin.*, ubi Bened. XI. ait: *Licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre*: cum enim peccasse semper sit malum, et semper adsit in eo, qui peccavit, privatio innocentiae, et absolutae immunitatis a peccato, hinc homo semper potest conteri, quod peccaverit, atque hinc semper, tametsi super peccato alias remisso, absolutionis materiam Confessario praebere, utpote quae, non quidem peccatum non remissum, sed ejus confessio cum contritione, seu dolorosa illius confessio: in quo ca-

su idcirco, licet nova Sacramenti forma non cadat super nova peccata, quae sunt tantum materia illius remota, cadit tamen super novam confessionem cum dolore factam, quae est proxima Sacramenti materia. Nec dicatur, quod forma *Ego te absolvo* circa peccata jam absoluta verificari non potest. Cum enim peccata remittantur, ut diximus n. 219., per infusionem gratiae, sensus proinde formae absolutionis est: *Ego confero tibi gratiam de se remissivam peccati, idest, quae vel deleat peccatum, si subsit, vel primam gratiam adaugeat, si absit*: ex quo sequitur, quod necesse non est ad ejus veritatem, quod peccatum non fuerit hactenus dimissum; ad cujus veritatem si id necesse esset, an non falsa esset etiam, saltem materialiter, cum iis omnibus daretur, qui ad Sacramentum perfecte contriti accedunt? Sequitur 3.°, quod grave sacrilegium perpetrat, qui vel sola venialia, vel sola mortalia alias confessa sine debita contritione confitetur, quia non ponit materiam Sacramenti. Nec ex eo, quod peccata hujusmodi sint materia libera Sacramenti Poenitentiae, sequitur, quod possit quis absque vera contritione illa Sacramentaliter confiteri: sicut ex eo quod Sacerdos non teneatur ex praecepto in diebus ferialibus Sacrum facere sequiturne, eum absque gravi sacrilegio posse non assumere panem triticeum ad Sacrificium? Vera autem contritio non est minus necessaria Sacramento Poenitentiae, quam panis triticeus Eucharistiae. Satis tamen est ad venialium dolorem, ut ex Lig. n. 449. est tenendum cum comm. sententia, de uno tantum dolere, et proponere: immo, ut subdit, dolere de venialibus de-

liberatis, et proponere omnia illa vitare; de semideliberatis vero dolere, se ea commisisse, et velle in posterum attendere ad illa vitanda quantum humanae fragilitati permittitur, ut enim ait D. Th.: *Poenitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus, et singulis; sed ad poenitentiam venialium requiritur, quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas hujus vitae non patitur; debet tamen habere propositum se praeparandi ad venialia minuenda* (3. *p. q.* 87. *a.* 1. *ad* 1.). Ex quibus postremis D. Th. verbis inferunt etiam Lugo, Sporerius, etc., sufficere etiam dolorem de eorum multitudine, propositum enim dolorem sequitur: saltem, ut ait Lig., quia impossibile est dolere de multitudine, et non dolere de illis posterioribus culpis, per quae multitudo constituitur; in quo casu idcirco dum poenitens in recto, et principaliter dolet de excessu, in obliquo saltem dolet de ipsis culpis. Sequitur 4.°, quod si quis bona fide existimet se contritum, sed revèra ad Sacramentum accedat absque contritione, invalide Sacramentum suscipit, quia cum desit Sacramenti materia, deesse etiam debet Sacramentum. Qua super re praeclare Ben. XIV., *error* (ait) *poenitentis bona fide se contritum reputantis, cum revera contritus non sit, eum quidem excusaret a culpa, non tamen disponeret ad gratiam assequendam in Sacramento, quod ex defectu materiae est irritum* (*De Syn. l.* 7. *c.* 13. *n.* 6.). Immo ob eamdem rationem ipsum dolere de doloris defectu nec etiam sufficit ad Sacramentum, utpote cujus materia, non quidem dolor de doloris

defectu, sed realis dolor. Qua super re docent quidem non pauci, vix fieri posse, ut quis efficaciter doleat de carentia doloris, et reipsa non doleat, quamvis enim non experiatur dolorem *sensibilem*, spiritualem certe habet, quo tuto accedere potest ad Sacramentum. Rectius tamen dicendum cum Lig, n. 433., cum hujusmodi actu, quo quis dolet, se non dolere de peccatis, plerumque conjunctum esse dolorem de iisdem, etsi poenitens eum non dignoscat.

223. Quoad materiam item Sacramenti docuerunt quidam ex veteribus apud Suar., elevationem, et impositionem manus Sacerdotis ad illam quoque pertinere. Sed falso, ut enim commune est apud omnes, et prae aliis docet D. Th. 3. *p. q.* 84. *a.* 4., et *opusc.* 21., non est illa manus impositio, nisi ritus accidentalis in hujus Sacramenti administratione; immo, ut docet Lig. n. 425., quamvis servari debeat consuetudo, et elevatio tamen manus, ejusque impositio in caput, et ipsa formatio crucis est libera: idque probatur 1.°, quia nec *Matth.* 16., *et* 18., ubi promittitur hoc Sacramentum, nec in ullo alio Scripturae loco extat aliquod hujus manus impositionis vestigium. 2.° quia in nullo Concilio fuit umquam praescripta, tamquam necessaria. 3.° quia nec Flor. in saepe relato Decr., nec PP. Trid., qui accurate descripserunt Sacramenti Poenitentiae partes, meminere impositionis manus.

224. Quoad formam modo hujus Sacramenti, 1.° de fide est, ex institutione Christi, et natura Sacramenti actum judicialem esse debere: idque patet tum ex verbis, quibus Christus Apost., eorumque in Sacerdotio

successoribus ligandi, et solvendi peccatores potestatem contulit: *Quaecumque alligaveritis etc. Quorum remiseritis etc.*; in quibus Ecclesia semper intellexit contineri veram, et juridicam auctoritatem dimittendi peccata: tum ex Trid. *sess.* 14. *can.* 9., ubi: *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, anathema sit.* 2.° apud Graecos fuisse, et etiamnum esse deprecatoriam, patet *ex Instr. Clem. VIII. super ritibus Graecorum in Bull. Rom. t.* 5. *p.* 35., ubi: *In casu necessitatis Presbyteri Graeci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in Gen. Conc. Flor. praescripta; et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.* Cum autem S. Pontifex idem non jusserit, cum Graeci Graecos absolvunt, satis innuit, pro nulla non habere ejusmodi formam deprecatoriam, qua Graeci in Graecis absolvendis utuntur. Nec mirum, quia, ut disserit Goarius in Not. ad Euchol., *forma, etsi deprecativa, non excludit, immo continet actionem Ministri, sicque ad indicativam potest reduci; qui enim dicit*, dimitte, condona, *subintelligit per me: quemadmodum, et indicativa Dei misericordiam poenitenti necessariam expostulat implicite.* 3.° in Ecclesia Lat., declaravit Trid. *sess.* 14. *c.* 30. *formam esse*, Ego te absolvo etc., *quibus quidem preces quaedam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae.* Et sane cujusvis Sacramenti forma ea est, quae effectum Sacramenti significat; ut ver-

ba *Ego te baptizo* in Bapt., quae significant ablutionem: *Hoc est Corpus meum* in Euch., quae significant transubstantiationem, ec. Praefata autem verba significant effectum Sacramenti Poenitentiae, peccatorum scilicet remissionem, utpote quibus animae velut constrictae tenentur, ex illis Prov. verbis 5. *Funibus peccatorum suorum quisque constringitur*: Patet ergo propositum. Verba autem *a peccatis tuis* verificantur, etiamsi poenitens unicum habeat peccatum post Baptismum, quia ex communi loquendi modo saepe ponitur plurale pro singulari; ut cum dicimus *nos*, *vos* pro *ego*, *tu*: cui accedit, quod communiter adsunt plura; et quod Sacerdos intendit absolvere plura, si plura sunt, et in plurali includere singulare, si unum adsit. Diximus autem, quod forma hujus Sacramenti conflatur ex praefatis verbis; et quidem hic addimus, proprie verbis, idest quae voce proferantur; Florentino, et Trid. asserentibus, verba esse formam cujuslibet Sacramenti, excepto Matrimonio, in quo verba non sunt essentialiter necessaria. Quis autem non videat, quod si Florent., et Trid. loquerentur non de solis verbis, sed de omni supplente vices verborum, ut sunt epistolae, nutus, ec., immerito solum Matrimonium excepissent? Sicut ergo hoc excepto, aliorum Sacramentorum formae verbis proprie talibus perfici debent (quis enim dicat, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam scripto, vel nutu perfici posse?), ita et verbis proprie talibus formam perfici Sacramenti Poenitentiae, dicendum est.

225. Quaenam porro ex relatis verbis sint praecise necessaria ad valorem formae, certum 1.° videtur,

non esse ad ejus valorem praecise necessàrium to *tuis*, tum quia ejus significatio satis continetur in to *te*; tum quia Rit. Rom. pro forma in necessitatis casu assignat ista verba: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis.* Quod et proinde dicendum de to *omnibus*, quia nempe in eod. Rit. in forma ordinaria etiam omittuntur. Probabilius quoque censet Lig. n. 430., neque etiam ad formae valorem praecise requiri *a peccatis tuis*, sed sufficere verba *Ego te absolvo*, tum quia in Cat. Rom. de ea dicitur: *Est autem forma, Ego te absolvo*, nec aliud ibi additur; tum quia ex circumstantiis satis determinantur verba *Ego te absolvo* ad significandam absolutionem a peccatis. Sic etiam probabilius censet, necessario non requiri ad formae valorem *te*, sed sufficere verba: *Ego absolvo a peccatis tuis*, cum verbum *te* satis exprimatur in verbo *tuis*. Quia tamen sententia docens, omnia illa verba *Ego te absolvo a peccatis* necessario requiri ad valorem formae, est etiam probabilis; cum enim Christus instituens hoc Sacramentum, expresse dixerit, ut legitur Jo. 20., *Quorum remiseritis peccata*, hinc cum dixerit *quorum*, exprimendum est post *absolvo* etiam *te*; cumque dixerit *peccata*, exprimendum quoque est *a peccatis*: his positis, non est in praxi recedendum ab hac sententia, ut idem advertit, cum damnata fuerit ab Innoc. XI. prop., quae ajebat: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori.*

226. Quoad verba autem, quae praecedunt, et quae subsequuntur, verba *in nomine Patris, et Filii, et*

Spiritus Sancti, quia certo non pertinent ad formae essentiam, cum in institutione hujus Sacramenti nullam Christus fecerit mentionem de hac Trinitatis invocatione, eorum proinde omissio, secluso scandalo, et contemptu, non esset mortale ex Lig. l. c.; at veniale esset, quia contra Ecclesiae consuetudinem. De caeteris vero ait Rit. Rom., quod *in Confessionibus frequentioribus omitti potest Misereatur ec., et satis erit dicere Dominus noster J. C. ec., usque ad illud Passio* ec.; verba autem *Dominus noster J. C.*, si nulla adsit probabilis suspicio, quod poenitens aliqua censura irretiatur, omitti etiam posse absque culpa, probabile censet Lig., cum de omnibus hisce precibus indistincte dicat Trid., quod de Ecclesiae Sanctae more *laudabiliter adjunguntur*, verbumque *laudabiliter* nullum sonet praeceptum: at si adsit talis suspicio, mortaliter Sacerdotem peccare, docet cum Conc., qui contra prohibitionem Ecclesiae poenitentem absolveret a peccatis, quin prius eum absolveret a censuris: subjungens simul, satis communem esse sententiam, quod si poenitens esset in bona fide, valide a peccatis absolveretur, non praemissa absolutione a censuris, quia prohibitio Ecclesiae nequit irritare Sacramentum, cujus valor, quum omnia ad illud concurrunt essentialiter requisita, pendet a jure Divino. Omnes tamen praefatas preces laudabile esse in Confessionibus, saltem longioribus, adjicere, patet ex relatis Trid. verbis: maxime vero illas, ut monet Lig. n. 507., *Passio D. N. J. C. ec.*, quia exceptis paucis, qui id negant, longe tamen probabilius, et communius est, quod per illa verba: *Quid-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quid boni feceris ec. omnia bona opera poenitentis, licet non imposita, vim conquirunt satisfactionis Sacramentalis, ac nedum *ex opere operantis*, sed etiam *ex opere operato* suum sortiuntur effectum; secus namque Ecclesia frustra praescripsisset proferri. Cui accedit auctoritas D. Th. id expresse docentis in *Quod l.* 3. *n.* 28., ubi: *Et haec, quae praeter injunctionem expressam* poenitens *facit, accipiunt majorem vim expiationis ex illa generali injunctione, qua Sacerdos dicit*: Quidquid boni feceris, ec. *Et quantum ad hoc talis satisfactio est Sacramentalis, in quantum virtute clavium est expiativa.* Hinc praestat, quod Confessarius formaliter intendat per illa verba Sacramentaliter quoque injungere quidquid a poenitente praestabitur boni.

227. Ex eo autem, quod forma hujus Sacramenti est indicativa, sequitur, quod prolata sub conditione de futuro irrita esset, nedum ex ratione allata n. 39., sed etiam quia effectus Sacramenti nequit suspensus manere. Sub conditione tamen de praeterito, vel de praesenti, valet quidem, hac posita, quia effectus Sacramenti non manet suspensus, sed non licet, ut ibid. diximus, nisi fiat ex justa causa, ne scilicet, negata prorsus absolutione, notabile detrimentum inde immineat animae poenitentis. Haec vero causa esse potest 1.°, si poenitens sit sensibus destitutus, atque in mortis periculo, vel in hoc non det, nisi dubia dispositionis signa. 2.° si poenitens afferat aliquod mortale dubium, nec possit certam ex vita anteacta materiam praebere. Cum tamen poenitens, ut recte advertit Lig. n. 432., nec mortale dubium affert, nec

de anteacta vita materiam certam Confessario praebet, ut absolutionis beneficio gaudeat, non tenetur Confessarium eam exquirere; et casu, quo exquisierit, nec eam repererit, non tenetur absolvere sub conditione, cum ad id poenitens jus habeat, quando vel affert materiam certam, vel saltem dubie necessariam. 3.° si agatur de pueris, vel semifatuis, qui confessi sint aliquod mortale, etsi dubium, ac de eorum dispositione dubitetur, urgeatque periculum mortis, vel praeceptum Paschale: immo, ut Lig. putat l. c. omnino dicendum, etiam extra tempus mortis, vel praecepti: ideo enim, ut disserit, alii usu rationis praediti absolvi non debent, cum de eorum dispositione dubitatur, quia adest spes, quod dilata absolutione, de brevi certo dispositi redeant, et absolvantur. Quaenam autem spes quoad hos pueros, et semifatuos, nondum perfecte rationis compotes, quod brevi afferant hanc certam dispositionem? Additque, non improbabiliter docere Sporerium, aliosque, posse hujusmodi pueros, etiamsi afferant peccata tantum levia, sub conditione absolvi, ne diu priventur gratia Sacramentali, et ne maneant in mortali, si forte habeant.

228. Ex eo vero, quod forma hujus Sacramenti consistit essentialiter in verbis, sequitur, nedum non licere, sed nec valere absolutionem absenti datam per literas, vel per internuncium. Hinc Clem. VIII. proscripsit, ut falsam, et temerariam prop., quae ajebat: *Licere per literas, vel internuncium Confessario absenti Sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere*; praecepitque sub excommunicatione ipso facto incurrenda, et sibi reservata, re-

servatione tamen generali, a qua excomm. excusat sola ignorantia invincibilis, ne umquam ad praxim quoquo modo deducatur, ac ne aliquis eam umquam audeat docere. Quamvis tamen poenitens moraliter praesens esse debeat, censet tamen Sporerius, Bonac., etc., sine scrupulo absolvi posse poenitentem, qui e Concessionali recessit, si certo scitur, esse adhuc intra paucos passus, cum adhuc sit moraliter praesens, ad quod videtur requiri, ut personae possint, prout ordinarie fit, mutuum inter se sermonem communicare.

229. Ex iis autem, quae dicta sunt quoad materiam, et formam hujus Sacramenti, sequitur 1.°, quid dicendum sit de quaestione, an Sacramentum Poenitentiae possit simul esse validum, et informe? An nempe cum aliquis plurium peccatorum reus, ac detestans peccata, quorum meminit, ex motivo specialis turpitudinis eorum, quod motivum proinde non extendatur ad peccata, quorum est immemor, licet hic gratiam non consequatur ob defectum contritionis, quae non extenditur ad peccata oblita, valide tamen confiteatur, ita ut Sacramentum, sublato obice, idest peccatis oblitis detestatis, reviviscat ad causandam gratiam, nec adsit postea obligatio repetendi peccata jam confessa, sed solum omissa? Respondent quidem Laym., Vasquesius, etc., Sacramentum in praedicto casu esse validum, et formatum; cum enim poenitens conteratur, ut Divinam recuperet amicitiam, hinc ejus contritio virtualiter extenditur ad omnia peccata etiam oblita, utpote omnia opposita reconciliationi cum Deo intentae. Inquiunt alii, esse et informe, et invalidum: cum enim dixerit Trid. *sess.* 14.

c. 3., quod contritio, quae est pars Sacramenti Poenitentiae, idest materia ad illud apta, operatur *plenam, et perfectam peccatorum remissionem*; hanc proinde qui non consequitur, dicendum est, non attulisse materiam aptam ad Sacramentum: quod idcireo, utpote sine materia apta, neque etiam fuit validum. Probabilius tamen censet Lig. n. 444., duce praesertim D. Th. in *supplem. q.* 9. *a.* 1., *et in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *a* 4., quod in praedicto casu Sacramentum est simul validum, et informe: ex una enim parte certum videtur, poenitentem hujusmodi gratiam non consequi ob defectum contritionis universalis, cum nequeat unum mortale sine alio remitti. En igitur Sacramentum informe. Ex altera vero, quomodo invalidum dicendum, cum nulla defuerit pars essentialis ad ejus valorem: non Confessio, utpote formaliter integra, omnium nempe peccatorum, quae memoriae occurrebant; non contritio, cum jam adfuerit circa peccata confessa; non absolutio, ut supponitur? En igitur simul validum, et informe. Trid. autem loquitur de eo, quod per se, et ordinarie contingit, non vero de eo, quod per accidens, et raro evenit. Ex dictis tamen n. 8., difficile intellectu est, quomodonam, sublato obice, possit Sacramentum reviviscere ad causandam gratiam; quum nempe nullatenus subsistit neque in se, ut patet, neque in charactere, quem non imprimit. Quare, etsi docuerit D. Th. l. cit., quod *quamvis* poenitens in quaestione *tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen, recedente fictione, percipere incipiet*: satius tamen dicendum tantum videtur, quod in praedicto casu non

adsit amplius obligatio repetendi peccata jam confessa, sed solum omissa.

230. Sequitur 2.°, necessarium non esse, quod contritio praecedat Confessionem, sed sufficere, quod eliciatur post Confessionem ante absolutionem. Ad suscipiendum enim, ut par est, Sacramentum Poenitentiae, sufficit, ut Confessario formam proferenti suscipiens sensibiliter praebeat debitam materiam, suorum scilicet peccatorum confessionem cum contritione. Haec autem utique fit sensibilis Confessario per expectationem absolutionis, continuatam genuflexionem, tunsionem pectoris, etc., quae sunt quasi continuata confessio; quae omnia subsequenter ad peccata paullo ante explicata veram rationem Confessionis cum contritione habent: patet ergo propositum. Cui accedit, quod dum poenitens elicit post confessionem actum contritionis, jam dolorose confitetur, se peccasse. En igitur confessio non historica, ut Adversarii inquiunt, sed dolorosa. Sicut etiam, quod ipsum Rit. Rom. expresse id approbat, dicens: *Audita Confessione* Confessarius *ad dolorem efficacibus verbis adducere conabitur etc.* Bene igitur sufficit ex Rit. dolor post confessionem elicitus. Idque et docet Lig. num. 445.; et Abelly vocat in praxi tutum; et Lugo dicit oppositam sententiam esse singularem, et contra communem TT.

231. Sequitur 3.°, quod cum materia ordinari debeat ad formam, ideoque etiam contritio, utpote materia Sacramenti Poenitentiae, elicienda sit in ordine ad absolutionem, hinc, nedum elicienda est ex intentione Confessionis, verum etiam si quis statim

post absolutionem confiteatur peccatum oblitum, novum tenetur elicere contritionis actum; quamvis enim contritio moraliter perseveret, non tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem. Cui accedit, quod per primam absolutionem jam completum est judicium; quare si nova impertienda est absolutio, nova etiam requiritur materia proxima. Non negandum quidem, oppositum suam quoque habere probabilitatem, et forte majorem: tum quia, ut Lig. disserit n. 447., et 448., etsi contritio non fuerit ordinata ad absolutionem relatione antecedenti, ad eam tamen relatione consequenti ordinatur; tum quia dum quis conteritur, semper conteritur in ordine ad veniam obtinendam, nec solum peccatorum, quorum meminit, sed quorum etiam memoria excidit: cum tamen agatur, ut idem subdit, de valore Sacramenti, in praxi omnino adhaerendum est tutiori, ob prop. relatam n. 225. ab Innoc. XI. proscriptam.

Caput III.

De contritionis speciebus; nec non ejus necessitate, ac praecepto.

232. Quid sit contritio, jam diximus Trid. verbis n. 221.; utque apparet ex n. 212, eadem omnino est, ac ipsa poenitentiae virtus. Distinguitur autem in perfectam, et minus perfectam: 1. est, *quae elicitur ex motivo charitatis, ob Deum nempe summe dilectum propter seipsum*; ac dicitur simpliciter contritio. 2. *quae ex inferiori motivo, supernaturali tamen, elicitur*; ac

dici solet attritio. Differunt autem tantum ratione motivi, et ratione effectus. *Motivi*, quod non eget ulteriori declaratione. *Effectus*, quia contritio *per se* remittit peccata, et justificat extra Sacramentum in re susceptum, quamvis non sine voto Sacram. Poenit.: attritio vero *per se* non sufficit ad justificationem, et remissionem peccati mortalis sine Sacram. Poenit. in re suscepto, ex Trid. *sess.* 14. c. 4.. Caeterum cum omnia, quae conveniunt generi, convenire debeant speciebus, utrique proinde, et contritioni scilicet, et attritioni, quia utraque est species contritionis generatim sumptae, seu virtutis poenitentiae, convenire debet, quod de hac diximus n. 212., ut scilicet 1.° sit infusa, seu supernaturalis; 2.° sit de offensa Dei; 3.° sit summa; 4.° odio habeat peccatum, ob quod odium voluntatem in posterum peccandi excludat.

233. Quoad 1.m tamen, quaeritur, an attritio ex metu poenarum temporalium, prout a Deo infliguntur, sit sufficiens ad Sacramentum? Affirmat quidem probabilior sententia ex Lig. l. c.; tum quia cum respiciat Deum, ut justum peccati vindicem, ac ultorem per poenas etiam temporales, nemo non videt, quod eliciatur ex motivo supernaturali: tum quia cum Trid. dixerit, attritionem supernaturalem concipi aut ex consideratione turpitudinis peccati, aut *ex gehennae, et poenarum metu*; addideritque exemplum ex Ninivitis, qui *hoc timore utiliter concussi ad Jonae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt*, de quibus poenis locutum fuisse, dicendum est, nisi de temporalibus? Opposita tamen sententia est etiam proba-

bilis, sive enim poenae illae temporales agnoscantur per lumen fidei, sive per lumen rationis, ut inflictae a Deo, non fit per hoc, ut attritio sit supernaturalis *quoad substantiam*, sed ad summum *quoad modum*. Aliunde vero Trid. cum non dixerit *ex metu gehennae, vel poenarum*, sed *ex metu gehennae, et poenarum*, probabiliter posuit utrumque pro eodem; exemplumque Ninivitarum non satis explicat ejus mentem, tum quia dixit eos concussos ad praedicationem Jonae, non vero ex ejusmodi motivo poenitentiam egisse; tum quia citra omne dubium est, quod ante Christi adventum sola attritio quocumque ex motivo concepta ad promerendam Dei misericordiam, veniamque obtinendam non sufficiebat. Ob ejus idcirco probabilitatem, hanc in praxi sequendam esse, idem Lig. monet n. 443., ex ratione saepe allata, quod cum agatur de valore Sacramenti, tutior proinde est sequenda.

234. Quoad 2.m, habendum est prae oculis ex dictis n. 212., quod tam contritio, quam attritio esse debet dolor *de offensa Dei*: quem si poenitens concipiat ex motivo, quod Deus diligi meretur super omnia propter seipsum, dicitur *contritio*: si ex motivo turpitudinis peccati, vel gehennae, ac poenarum promeritarum, dicitur *attritio*.

235. Quoad 3.m duo monenda sunt ex Lig. n. 433. cum communi DD.: 1.°, quod tam contritio, quam attritio esse debet summa *appretiative*, ita ut poenitens nihil magis detestetur, quam peccatum, malitque omnia potius mala passum fuisse, quam mortaliter contra Deum peccasse; non vero *intensive*, ita

ut sensibiliter sic sit affectus. 2.° non expedire comparationem explicitam inter peccatum, et alia mala instituere, ex ratione D.Th. in suppl. q. 2. a. 1. ad 4., *quia affectus suos homo non de facili mensurare potest, et quandoque illud, quod minus displicet, videtur magis displicere, quia est propinquius nocumento sensibili, quod magis est notum.* Cui accedit, quod cum res sensibiles majorem in nobis impressionem faciant, quam abstractae, quales sunt veritates fidei, has proinde explicitas comparationes facere periculum ingereret illis succumbendi, ac labendi in aliud peccatum. Quare addit D. Bonav. *in 4. dist. 16. a. 2. q. 1.*, quod *nullus Confessarius debet hoc ab aliquo, qui sibi confitetur, quaerere.*

236. Quoad 4.m denique, definiit Trid. sess. 14. c. 4., contritionem, quatenus est pars hujus Sacramenti, *non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum, et inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Propositum autem novae vitae, seu propositum amplius non peccandi ex tali odio consequens, 1.° esse debet *firmum*, ita ut poenitens habeat voluntatem omnino deliberatam non recidendi, sitque animo ita dispositus, ut nullius mali timore, ac nullius boni cupidine velit in posterum peccare. Qua super re Lig. n. 451. advertit, quod quamvis speculative loquendo haec voluntatis firmitas possit consistere cum judicio intellectus de lapsu futuro ex cognita fragilitate, cum tamen poenitens certo credit, se relapsurum, practice saltem certam suspicionem praebet, quod propositum suae voluntatis non est satis firmum, cum impossibile sit, ut quis firmiter

proponat se emendare, sciens, quod Deus suam gratiam coadjuvantem non denegat facienti quantum in se est, ac simul credat certo, se ad sua peccata rediturum. Ait tamen *certo*; quia secus dicendum, si poenitens ex sua praeterita fragilitate timeret relapsum, communiter enim DD. ajunt, quod ad serium propositum non requiritur, ut credatur nullus relapsus secuturus, sed satis est seria voluntas non relabendi, quae bene consistere potest cum timore lapsus ex mutatione voluntatis. 2.° esse debet *universale* quoad peccata mortalia, quoad venialia enim, ex dictis n. 222., sufficit, quod poenitens proponat abstinere ab aliquo, absque eo quod proponat abstinere ab omnibus. 3.° esse debet *efficax*, idest, ut Lig. l. c. explicat, aptum efficere quod proponitur; ad quod requiritur, quod poenitens nedum proponat peccatum vitare, sed media etiam adhibere ad illud vitandum, quod enim vere volumus, ita volumus, ut velimus simul media ad illud assequendum necessaria.

237. Hae igitur, nemine dissentiente, tam contritionis, quam attritionis qualitates, quarum si una tantum desit, neutra juxta omnes ad Sacramentum sufficit. Disputatur autem inter DD. 1.°, an praeterea ad singula peccata necessarii sint singuli doloris actus? Quod licet Sylvius, aliique pauci affirmaverint, omnino tamen tenendum cum communi sententia, docet B. Lig. n. 438., quod, etsi dolor non referatur ad peccata distincte recogitata, sufficit de omnibus universaliter poenitere: 1.° quia si peccator per primam conversionem gratiam non recuperaret, se-

queretur inde, quod eodem tempore esset simul conversus, et aversus: 2.° quia peccata mortalia nequeunt unum sine alio remitti: 3.° quia secus magnis peccatoribus impossibile esset statim converti ad Deum, cum tamen ex Scripturis constet oppositum: 4.° quia in tali hypothesi non delerentur per dolorem universalem peccata occulta, contra ac Trid. docuit: 5.° quia cum quis dolet se peccasse ex motivo universali, quod cum omni peccato pugnat, virtualiter de singulis dolet, ejusque dolor ad omnia, et singula peccata se extendit. Ibidem tamen monet Lig., quod qui majori passione erga aliquod peccatum afficitur, nisi ad specialem illius detestationem inducatur, remanente affectus radice, de facili ad vomitum redibit.

238. Disputatur 2.°, an praeterea actus doloris debeat explicite informari actibus fidei, et spei? Quod licet alii affirment, ex Trid. verbis *sess.* 6. *c.* 6., quod peccatores se parant ad justificationem, *credentes vera esse, quae divinitus revelata, et promissa sunt . . fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore*; alii negent, dicentes, nulla sufficienti ratione horum actuum explicitorum necessitatem probari: mediam tenens viam Lig. n. 439., has sententias, scribit, optime conciliari a Lugone, dicendo, quod cum quis vere poenitens accedit ad Sacramentum, necessario elicit explicite, non jam reflexe, sed quidem exercite actus fidei, et spei; cum enim ad recipiendam peccatorum suorum veniam accedit, procul dubio explicite etiam credit, virtute Sacramenti illa sibi remittenda, et explicite sperat per Sacramentum, Deum remissurum sibi peccata propter Christi merita.

239. Disputatur 3.°, et quidem acerrime, super quo idcirco diutius nobis erit immorandum, an attritio, ut sufficiat ad Sacramentum, opus sit, ut aliquo etiam verae dilectionis, seu charitatis motu informetur; vel utique sufficiat, si concepta tantum sit sive ex consideratione turpitudinis peccati, sive ex metu gehennae, et poenarum? Qua super re advertimus 1.° cum Laur. Berti t. 7. l. 34. c. 5., *nihil hactenus a Sede Apost. de hac quaestione decisum, ac libertatem cuique datam ex praefatis opinionibus eam eligendi, et docendi, quam maluerit*: quodque et Ben. XIV. *l. 7. de Syn. c. 13. n. 9.* prohibuit Episcopis aliquid decernere *aut de attritionis mere servilis ad Sacramentum Poenitentiae sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate*: et prius Alex. VII. vetuerat sub poena excomm. latae sententiae, neutram ex praefatis sententiis *aliqua censura, injuria, aut contumeliae nota taxare.* 2.° dicimus cum Lig. n. 440., utique ad Sacramentum sufficere simplicem attritionem, quin scilicet aliquo verae dilectionis, seu charitatis motu informetur: utque idem subdit, *non immerito hanc sententiam vocant Suar., Viva, Croix, Sporerius, aliique moraliter certam, et oppositam post Trid. omnem probabilitatem amisisse.* Praeiverat Bellarminus dicens l. 2. de Poen. c. 18., *nullo modo negari posse, quin attritio et sola non sufficiat, et cum absolutione sufficiat, ut in Conc. Trid. declaratum est.*

240. Probatur autem 1.° multiplici ratione ex Trid. *sess. 14. c. 4.*; quarum prima petitur ex illis verbis ubi loquens de simplici attritione, quae scilicet *ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae,*

et poenarum metu concipitur, ait: *Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit.* Porro, etsi Conc. non dixerit *sufficit*, sed *disponit*, immo etsi post magnam disceptationem, Pallavicino teste, verbo *sufficit* substituerit *disponit*, loqui tamen non potuit de dispositione remota, tum quia etiam extra Sacramentum attritio est dispositio remota ad justificationem; tum quia in hoc casu dicere debuisset, quod attritio, *quamvis sine Sacramento peccatorem non disponat ad gratiam impetrandam, ad hanc tamen impetrandam disponit cum Sacramento*, non vero, ut dixit: Et *quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum etc.* Est igitur simplex attritio dispositio proxima ad Sacramentum, ideoque ad illud sufficiens; nec potest aliter Conc. intelligi, quin, ut scribit Lig. n. 440., *incongruenter*, *inepteque* intelligatur. Et sane nonne qui ad Sacram. rite dispositus accedit, gratiam per illud consequitur? Ex relatis autem Trid. verbis, per simplicem attritionem accedit homo ad Sacram. rite dispositus, dicitur enim *absolute*, et *sine addito*, per illam hominem *ad Dei gratiam in Sacram. impetrandam disponi*: ergo. . : solumque, ut liberum relinqueret sequi oppositum, illam Concilium expresse *sufficientem* non dixisse, consequens est. 2.° petitur ex c. 3.°, et 4.° simul collatis ejusd. sess.; cum enim declaraverit c. 3., contritionem generatim sumptam esse materiam proximam Sacramenti Poenitentiae, eam subinde dispescit c. 4.

in perfectam, et imperfectam, contritionem scilicet proprie dictam, et attritionem; ex quo sequitur, quod utraque juxta Trid. est materia proxima Sacramenti Poenitentiae. Esse autem materiam proximam Sacramenti Poenitentiae idem valet, ac esse ad illud sufficientem; accedente enim ad materiam proximam Sacramenti ipsius forma, et persona Ministri illud conferentis cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, nihil deest, quin Sacramentum sit omni ex parte perfectum: Sufficiens igitur. 3.ª petitur ex fine c. 4. ejusd. sess., ubi: *Quamobrem falso quidam calumniatur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre.* Hic autem motus, ut evidenter constat ex *l. c.*, et ex *sess.* 6. *can.* 8., non erat, nisi simplex attritio, per quam haeretici, quos Trid. impetit, ajebant, *peccatores pejores fieri*: Cum ea igitur Sacramentum Poenit. gratiam conferre, hoc ipso dixit; ac nostram sententiam ab haereticorum calumniis vindicando, hoc ipso probavit. 4.° ex eo quod *ibid.* ait, quod contritio cum charitate hominem Deo reconciliat absque Sacramento in re suscepto. Quaenam igitur dicenda, nisi illa absque charitate, quae hominem Deo reconciliat tantum cum Sacramento? Hinc et *Canus*, et *Corduba*, qui Trid. interfuerunt, stant pro sufficientia simplicis attritionis: idque, ait *Bellarm.* l. c., *in Conc. Trid. declaratum est.*

241. Prob. 2.° ex eo quod Sacramentum Poenitentiae, utpote Sacramentum mortuorum, institutum scilicet, ut ait Trid. sess. 14. c. 1., *pro fidelibus Deo reconciliandis*, nequit praeexigere, tamquam disposi-

*

tionem necessariam, quod hominem Deo reconciliat, antequam Sacramentum actu suscipiatur: secus namque vi ipsius Sacramenti nec umquam deleretur peccatum; nec umquam per Sacramentum obtineretur effectus, propter quem institutum fuit; nec umquam Sacerdotes remitterent peccata, sed tantum remissa declararent, contra id, quod fides docet, ex dictis n. 213, et 218. Dolor autem quacumque Dei dilectione, seu charitate, etiamsi exigua, ac remissa, informatus statim justificat, 1.° ex Scripturis, quae, nulla facta mentione gradus, et intensionis, unam exigunt Dei dilectionem ad hoc, ut homo Deo gratus sit, et acceptus, ut Prov. 8., ubi: *Ego diligentes me diligo*: Jo. 14., ubi: *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*: 1. Petr. 4., ubi: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 2.° ex Trid. ajente sess. 14. c. 4., *contritionem charitate perfectam* (idest informatam, non enim ait, *contritionem cum charitate perfecta*, sed *contritionem charitate perfectam*) *hominem Deo reconciliare, priusquam Sacramentum actu suscipiatur.* 3.° ex prop. 32. in Bajo proscripta: *Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum*: nec non ex 66. in eod. proscripta: *Homo existens in peccato mortali potest habere veram charitatem*; *et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis*: cumque per verba *etiam perfecta* significetur a Bajo charitas intensa, evidens est, ut advertit Lig. n. 442., quod per verba *veram charitatem* significetur ab eodem charitas remissa. 4.° ex D. Aug., qui charitati

tribuit in ipso primo gradu vim sanctificandi hominem; ait namque *tract.* 9. *in Jo.* de charitate: *Quam cum habere coeperit homo, Spiritum Sanctum habebit; quam si non habuerit, sine Spiritu Sancto erit.* 5.° ex eo quod sicut nulla est aversio a Deo, tamquam a fine ultimo, quantumvis exigua, et remissa, quae non pugnet cum Dei amicitia, ita dicendum, quod quaevis Dei dilectio, quantumvis exigua, et remissa, pugnet cum peccato lethali. 6.° ex eo quod nullus charitatis gradus assignari potest, quo major dari nequeat, immo et quis ille sit, per quem homo justificetur. 7.° ex eo quod ubinam hoc de intensione charitatis praeceptum? De quo etiam Habertus docet, quod et dari non poterat, utpote de re, quae in nostra non est potestate. Quod si dicitur, Deum *ex toto corde* diligendum esse, per id intelligi, quod diligendus est super omnia, communiter DD. interpretantur, inter quos D. Th. 2. 2. *q.* 44. *a.* 8. *ad* 2., ubi: *Cum mandatur, quod Deum ex toto corde diligamus, datur intelligi, quod Deum super omnia debemus diligere.* Cumque, ut Deum rebus omnibus, quae nobis carissima, et delectabilia sunt, praeferamus, magnus requiratur conatus, hinc et dicitur, *ex totis viribus* diligendum esse. Nec etiam movere debet quod ait D. Th. in suppl. q. 5. a 3.: *Amor potest esse ita remissus, quod non sufficiat ad rationem charitatis*: id namque ait S. D. de amore concupiscentiae, non de amore charitatis, diserte enim scribit ibid., *quod quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Quibus omnibus perpensis, patet, quam recte

Lig. scripserit l. c., sententiam, quod dolor cum charitate in gradu remisso non justificat extra Sacramentum, esse *omnino improbabilem*, *et falsam*; quam et vocat cum Lug. *erroneam*, cum Vasq. *contra sententiam catholicam*, cumque aliis *parum tutam in fide*, *temerariam*, *et scandalosam*: simulque patet, non esse de necessitate Sacramenti, quod dolor aliquo verae dilectionis, seu charitatis motu informetur: ad illud enim non requiritur de necessitate Sacramenti, quod hominem ante ipsum Sacramentum justificat. Dolor autem quacumque Dei dilectione, seu charitate, etiamsi exigua, ac remissa, informatus hominem justificat ante Sacramentum: ergo. Utque idem diversimode dicamus, in comperto est, quod contritio proprie dicta ad illud non requiritur de necessitate Sacramenti. Dolor autem quacumque Dei dilectione, etiamsi exigua, ac remissa, informatus est contritio proprie dicta ex def., quam tradidimus n. 232., et communiter omnes tradunt, utpote cujus ratio specifica, non jam intensio, quod nemo dixit, sed motivum charitatis, quae se angit, ac dolet Deum offendisse: ergo.

242. Prob. 3.° ex Cat. Rom. *de Sacr. Poen. p. 2. c. 5.*, cujus auctoritas magni facienda est, utpote composito ex commissione Trid. ab iis, qui eidem interfuerunt: *Si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare instituat, etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti, ac condonari.* Porro

vere attritus sine amore Dei, cujus non meminit Catechismus, illa omnia praestat: ergo.

243. Prob. 4.° ex D. Aug. *l. de catech. rud. c.* 17, ubi docet, eos, qui Christiani fieri volunt, ne eant in ignem aeternum cum Diabolo, etc., dispositionem habere non omnino perfectam, sufficientem tamen, ut baptismum recipiant, ac per illum justificentur. Æque autem disserendum esse de Baptismo, ac de Poenitentia, cum par sit utrobique ratio, commune est apud DD., ipseque Aug. docet *l. de adult. conj. c. ult.*, ubi: *Quae Baptismatis, eadem est reconciliationis causa*: ergo.

244. Prob. 5.° ex eo quod cum agatur de materia Sacramenti, et quidem, ut loquitur Trid. sess. 14. c. 2., *lapsis post Baptismum ita ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus*, exorta idcirco post illud Conc. quaestione circa hujus amoris necessitatem, et ad Romanos Pontifices delata, debuisset Pontifex, ac praesertim Alex. VII., si amor ille ad veram Sacramenti materiam esset necessarius, debuisset, inquam, ne una, aut altera sententia indistincte adhibita, Sacramentum periculo nullitatis, animaeque damnationis discrimini fuissent jugiter expositae, sententiam negantem, non quidem in sua probabilitate relinquere, et communiorem vocare, sed proscribere, ac gravissime prohibere, ne in praxim deduceretur. Delata autem quaestione ad Rom. Pont., nullum prodiit id genus Decretum, fuitque sententia negans amoris necessitatem, nedum in sua probabilitate relicta, sed et communior appellata: Non igitur amor ille ad veram Sacramenti ma-

teriam necessarius; secus Pontifex, ut ait Lig. n. 440., *magnam saltem dedisset ansam errandi in re tam gravi, unde tot animarum salus pendet.*

245. Opus tamen est respondere iis, quae Adversarii objiciunt. Et 1.° quod Christus de Magdalena ait Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* At si causa remissionis dilectio, absque hac nullam umquam remissionem, dicendum est, obtineri: ergo. Sed resp. 1.°, quod cum omnes, qui ab Adversariis depromuntur textus ex veteri, et novo Testamento, charitatem indicent perfectam, quam ad justificationem per Sacramentum consequendam nec ipsi exigere audent; cumque ideo, quia nimis probant, nihil probent, ad quid eos afferre? Quis negaverit, quod amandus est Deus, amandusque amore charitatis, amandusque super omnia, amandusque non initiali tantum, sed perfecta charitate, ea scilicet, quae sit *ex tota anima*, *ex toto corde*, *ex totis viribus*? Quis id negaverit? Non haec tamen est, quae inter nos agitur controversia; sed an Christus statuerit pro materia Sacramenti Poenitentiae supernaturalem peccatorum dolorem simul cum aliquo verae charitatis actu. Porro an non potius innuit, actum hunc necessarium non esse, ac solam attritionem sufficere, et cum *Matth.* 18. ait de servo, quod quia procidit ad pedes Domini ob metum, ne venumdaretur cum uxore, et filiis, decem millium talentorum condonationem obtinuit? Et cum *Luc.* 15. ait de filio prodigo, quod quia pressus fame ad patrem rediit, statim stola prima donatus est? Ac maxime cum Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus ait Jo. 20. *Quo-*

rum remiseritis peccata, remittuntur eis? Cum enim per veram charitatem quantumvis parvam omnia proculdubio remittantur peccata, *antequam Sacramentum actu suscipiatur*, quidnam Sacerdotes per Sacramentum remitterent, si ad illud homo per charitatem disponendus esset; ac nonne eorum ministerium nudum, ut haeretici ajebant, esset ministerium declarandi peccata remissa?

246. Directe tamen respondendo ad textum oppositum, dist. min.: utique scilicet numquam obtineri peccatorum remissionem absque charitate extra Sacramentum: cum Sacram. tamen, subdistinguitur. Numquam scilicet obtineri eorum remissionem quoad culpam simul, et quoad omnem poenam etiam temporalem, ad quam omnino delendam dilectionis intensionem valere posse, docet D. Th. *in 4. dist.* 17. *qu.* 2. *ad* 5.; non autem quoad culpam solum, et reatum poenae aeternae, quae iis deberetur. Quod porro Christus locutus fuerit de remissione quoad culpam simul, et quoad omnem poenam etiam temporalem, patet ex contextu, qui sic pergit: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*; cum enim certum sit, nullum posse peccatum lethale absque aliis remitti, quodque omnia remittuntur semper ac unum remittitur, quid per illud *minus* intelligi dicendum est, nisi temporalem poenam peccatis debitam?

247. Objiciunt 2.° illud Jo. ep. 1. c. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Porro et ante, et per susceptionem Sacramenti simpliciter attritus non diligit: In morte igitur sicut ante, ita etiam post Sacramenti susceptionem. Resp. tamen dist. maj., seu potius ex-

plicando textum : Quod scilicet manet in morte qui non diligit amore effectivo , idest Dei mandata servando. Qui autem non diligit amore affectivo , subdistinguitur: Quod nempe manet in morte, si eo non diligat tempore , quo tenetur actum amoris elicere. Secus , rursus , subdistinguitur , quod manet in morte , si Dei dilectionem actu positivo excludat ; non vero , si tantum ab illa praescindat. Hujusmodi autem est simplex attritio ; a Dei enim dilectione tantum praescindit, non vero eam actu positivo excludit : dum simul ex una parte amorem Dei effectivum complectitur , voluntatem peccandi excludendo ; et ex altera , quod charitatis actu informari debeat , ut Sacramento sit satis , id est , quod in quaestione versatur. Caeterum D. Joannem ibi loqui non de dilectione Dei , sed de dilectione proximi , patet ex verbis immediate antecedentibus : *Nos scimus , quoniam translati sumus de morte ad vitam , quoniam diligimus fratres* : quod nempe dilectio proximi est signum , quo dignoscimus , nos diligere Deum , ac de morte translatos esse ad vitam. Qua etiam responsione satisfit Ap. verbis 1. ad Cor. 13. *Si tradidero corpus meum , ita ut ardeam , charitatem autem non habuero , nihil mihi prodest* : neque enim eo loci Apostolum loqui de dilectione Dei , sed de dilectione proximi , patet ex verbis immediate sequentibus : *Charitas patiens est , non aemulatur , etc.* : ac de ea loquebatur , quia scribebat ad Cor. factionibus , ac dissensionibus divisos.

248. Objiciunt 3.°, quod peccatores , ex Trid. *sess.* 6. *c.* 6., dum ad justificationem disponuntur , *Deum tamquam omnis justitiae fontem diligere inci-*

piunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem. Simplex autem attritio non habet in se illud dilectionis initium: Cum ea igitur peccator non est sufficienter dispositus ad justificationem - Resp. tamen cum Lig. n. 442. neg. min.: hoc namque amoris initium bene contineri in attritione, patet 1.° ex illis verbis Eccli. 25.: *Timor Dei initium dilectionis ejus*; cumque has duas inter prop. *Timor Dei initium dilectionis ejus*, et *qui timent Deum incipiunt eum diligere*, adsit, ut quisque videt, formalis, ac perfecta identitas, ob id solum Adversarii vereri deberent relata Trid. verba in medium producere. 2.° quia, ut D. Th. ait. l. 2. q. 40. a 7., *ex hoc, quod per aliquem speramus, nobis posse provenire bona, movemur in ipsum, sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare*: in quo praecise sensu Concilium loqui, ex contextu patet, ait enim, quod peccatores *disponuntur ad justitiam, dum . . in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque, tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt*: quasi dicat, illos incipere Deum diligere, eo quod ab illo, tamquam a fonte totius gratiae, et justitiae, se peccatorum remissionem impetraturos, sperant. 3.° quia impossibile est, quod dum quis tristatur ob gehennae poenas, se offendisse Deum, simulque animadvertit, quod Deus poenis illis horribilibus, atque aeternis eum non punivit, tametsi juste potuisset iisdem eum punire, Deum nihilominus aliquo dilectionis motu non prosequatur.

249. Objicitur 4.° ex eodem Trid., ubi contritio,

prout pars Sacramenti Poenitentiae, definitur: *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero.* Propositum autem non peccandi de caetero essentialiter includit propositum observandi totam legem, cujus primum, et maximum mandatum est dilectio Dei; neque haec firma, et constans voluntas diligendi Deum haberi potest, nisi Deus actu diligatur, nam velle efficaciter Deum diligere est revera, et actu Deum diligere: Ut ergo attritio sit Sacramento sufficiens, debet Dei dilectionem includere, seu ab hac informari. = Resp. tamen 1.° argumentum nimis probare, si enim valeret, necessaria esset ad Sacramentum illa Dei dilectio, qua adimpletur praeceptum illum diligendi, idest perfecta; quod et Adversarii negant. 2.° neg. postremam partem min.: tunc enim qui efficaciter proponit amare Deum *tunc* amat, cum proponit *tunc* illum amare. Ad id autem teneri, qui ad Sacramentum Poenitentiae accedit, illud est, quod in quaestione versatur: qua super re nos dicimus, quod cum non teneatur accedendo ad Sacramentum motivum sibi proponere, quo se excitet ad actum amoris, ideo, etsi proponat servare totam legem, cujus primum, et maximum mandatum est illud diligendi Deum, inde tamen non sequitur, quod actu Deum diligat, sed solum quod dilectio Dei sit objectum ab eo volitum, vèl ad summum quod Deum amare incipiat, quantum sufficit ad dilectionis initium a Trid. requisitum. Nonne enim fur est, qui gerit furandi propositum? Adulter, qui firmum adulterandi propositum concepit? Eadem igitur ratione Dei amator est qui firmo proposito decrevit Deum amare.

250 Objiciunt 5.° prop. ab Innoc. XI. proscriptam quae ajebat: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Quaestio autem, an attritio, ut Sacramento sufficiat, debeat, necne aliqua Dei dilectione informari, pertinet ad valorem Sacramenti: Rejicienda igitur, saltem in praxi, sententia negans; ac nonnisi affirmans, ut tutior, est sequenda. Resp. tamen neg. cons.: proscriptum namque fuit, *non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*, non vero sententiam moraliter certam: immo, cum proscripta fuerit, ut testatur in suis Commentariis Theologicis unus ex Qualificatoribus selectis ad examinandas propositiones a praefato Pontifice confixas, *propter suam illimitatam amplitudinem*, docent proinde etiam rigidioris notae TT., quod in ipsa materia Sacramentorum si opinio circa eorum valorem sit tanto probabilior opposita, ut haec sit fere improbabilis, licet in hoc casu ea uti, securiore relicta; ut prae aliis Staidel *in Notis ad Theol. Antoine not.* 1. *ad qu.* 1. *c.* 4. *de consc.*; et Adnotator Cunil. §. 6. *de consc. n. ult.* Hujusmodi autem est ex probatis sententia negans dilectionis necessitatem in attritione, ut sit Sacramento sufficiens: quare ait de ea, ut diximus n. 239., Card. Bellarm., *nullo modo negari posse, quin attritio et sola non sufficiat, et cum absolutione sufficiat, ut in Conc. Trid. declaratum est.* Et Lig., quod *non immerito Suar., Salm., Viva, Croix, Sporerius, aliique eam vocant moraliter certam, et oppositam post Concilium dicunt*; om-

nem probabilitatem amisisse. Nec omittendum, quod idem Lig. advertit l. c., idest n. 440., quod cum dixerit quidem Ben. XIV. *l. 7. de Syn. c.* 13., nil circa praefatam quaestionem definitum fuisse a Trid., at simul subdiderit, sententiam de simplicis attritionis sufficientia communi plausu ab Scholis omnibus post Trid. fuisse exceptam; cumque item Alex. VII. eam dixerit *communiorem inter Scholasticos* prae oppositа, uterque Pontifex his verbis testatus est, ipsam communius habitam fuisse in Scholis pro morater certa, cum neminem lateat ob praefatae propositionis damnationem, licitum non esse in materia Sacramentorum aliam sequi opinionem circa eorum valorem, quae non sit vel tutior, vel moraliter certa.

251. Objicitur 6.° illud D. Aug., quod *veram, et perfectam poenitentiam non efficit, nisi odium peccati, et amor Dei* (*ser. 7. de temp.*): Non igitur vera poenitentia simplex attritio, quae scilicet aliqua Dei dilectione non informetur, ideoque Sacramento insufficiens - Resp. tamen neg. cons. Non enim ait S. D., quod *veram poenitentiam non efficit etc.*, sed quod *veram, et perfectam poenitentiam non efficit, nisi odium peccati, et amor Dei.* Quid igitur inde, nisi quod odium peccati absque Dei dilectione, a qua informetur, efficit veram, licet imperfectam, poenitentiam, quod quis negat? Mirum revera, quod Adversarii adeo hoc Aug. textu abutantur.

252. Ad id demum, quod reponunt, quod peccator simpliciter attritus 1.° magis detestatur poenam, quam culpam. 2.° praefert poenam peccati, quae est malum peccatoris, culpae, quae est malum Dei. 3.° ma-

gis seipsum diligit, quam Deum. 4.° non amat seipsum propter Deum, sed Deum propter seipsum. 5.° virtualiter est dispositus, quod si deesset poena, non detestaretur peccatum: Ad haec omnia dicimus 1.°, quod pudere deberet virum Catholicum haec objicere, probarent namque haec omnia, si quid probarent, nedum simplicem attritionem non sufficere ad Sacramentum, verum etiam nec esse bonam, et laudabilem, et *peccatores pejores facere*, ut Lutherus ajebat. Respondendo tamen directe, negamus unamquamque prop., ac quoad 1.m dicimus, quod tantum movetur magis a poena, utpote magis sensibili. Quoad 2.m, 3.m, et 4.m, quod sicut qui Deum diligit ob beneficia ab eo accepta, non ideo vel pluris aestimat bonum sui ipsius, quam bonum Dei, vel magis seipsum diligit, quam Deum, vel non amat seipsum propter Deum, sed Deum propter seipsum, sed tantum excitatur a re magis sensibili ad diligendum Deum: ita et qui tristatur Deum offendisse ex metu gehennae, non ideo vel praefert poenam peccati, quae est malum sui ipsius, culpae, quae est malum Dei; vel magis seipsum diligit, quam Deum, vel non amat seipsum propter Deum, sed Deum propter seipsum, sed tantum excitatur a re magis sensibili ad detestandam Dei offensam. Quoad 5.m, quod in attritione non est timor poenae, velut conditio, sub qua detestatur peccatum, sed motivum, ex quo peccator adducitur ad detestationem peccati; quod proinde non detestatur sub conditione, sed absolute, et efficaciter.

253. Quamvis autem nec contritio proprie dicta,

nec attritio, quae aliqua Dei dilectione, seu charitate informetur, sit dispositio necessaria ad Sacramentum Poenitentiae; quis tamen neget, scribit Lig. n. 442., esse omnino expediens, ut poenitentes pro viribus conentur elicere actum contritionis perfectae; utque Confessarii prius conentur illos disponere ad absolutionem per motiva, et actum attritionis, ac deinde etiam per motiva, et actum contritionis, *ut tutius gratiam consequantur?* En, ut idem subdit in praxi Conf. §. 2. n. 10., *bonorum Confessariorum institutum.* Immo ipsa contritio proprie dicta per se omnes obligat, ideoque necessaria est, in articulo mortis, nec non semper ac quis tenetur elicere actum charitatis erga Deum, utpote cui nemo potest satisfacere, si occurrente memoria peccati, ex eodem charitatis motivo peccatum non detestetur. Per accidens vero, cum quis in mortali existens deberet Sacramenta ministrare, vel aliquod Sacramentum vivorum suscipere.

254. Ut aliquid demum de contritionis generatim sumptae necessitate, ac praecepto dicamus, non minus quam necessitate medii esse illam necessariam ad veniam impetrandam, declaravit Trid. *sess.* 14. *c.* 4., ubi: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*; in quae verba ita sapienter Bellarm.: *De necessitate medii sine dubio loquitur, quae enim sola praecepti necessitate necessaria sunt, non ita universe omnia tempora complecti solent* (3. *de poen. l.* 2. *c.* 8.). Et sane illud necessarium dicitur necessitate medii, quo etiam inculpabiliter deficiente, salus obtineri nequit. Deficiente autem quocumque contritionis motu, sive

scilicet contritione proprie dicta, sive attritione, tametsi inculpabiliter, venia, ideoque et salus obtineri nequit; quid enim deordinatius, quam quod homo a Deo dimittatur illum offendisse, quin ipsum tanti mali nec poeniteat? Ad quod refertur et quod D. Petrus ait Act. 3. *Poenitemini, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Et quod Christus dixerat Luc. 13. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Cumque omne id, quod est necessarium necessitate medii, sit etiam necessarium necessitate praecepti, singulis idcirco in peccatum lapsis praeceptam quoque esse, consequens est. Qua super re quaeritur, an statim praecepta sit, ita ut ejus dilatio sit speciale peccatum? Ad quod Lig. respondet n. 437., quod per se loquendo, extra periculum mortis, et praeceptum annuae confessionis, peccator illam differens non committit speciale peccatum, an enim illud Eccli. 4. *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem* vim praecepti habeat, vel potius simplicis exhortationis, non satis constat. Per accidens tamen nullatenus, censet, posse excusari a mortali, qui in mortali existens per notabile tempus differat poenitentiam: tum ob praeceptum charitatis erga Deum, quod saltem pluries in anno quemcumque obstringit, ex dictis l. 2. n. 42.; tum ob praeceptum charitatis erga seipsum, periculo novarum culparum se exponendo, juxta illud Eccli. 3. *Cor nequam gravabitur, et peccator adjiciet ad peccandum.* Quare ait D. Greg.: *Peccatum, quod per poenitentiam non deletur, mox quasi suo pondere ad aliud trahit* (*hom. 11. in Ezech.*). Hoc autem tempus notabile censendum non esse an-

num, sequitur ex dictis; Ecclesiamque hoc tempus determinasse ad obligationem dumtaxat confessionis, non autem poenitentiae. Haec igitur super tali quaestione Lig. sententia; concludens demum, quod peccatores, praesertim rudes, ab hoc peccato dilatae poenitentiae ob inadvertentiam ut plurimum, immo fere semper excusari possunt.

Caput IV.

De iis, quae apposite ad traditas doctrinas de contritione habenda sunt prae oculis in audiendis confessionibus eorum, qui versantur in proxima peccandi occasione; nec non habituatorum, ac recidivorum.

255. Et quoad 1.m, definitur occasio peccandi *omne id, quod constituit hominem in peccandi periculo*: ac duplex distinguitur, remota, et proxima. *Remota* dicitur ex Lig. n. 452. *ea, in qua homines constituti, regulariter ut plurimum non peccant*: atque ab hujus generis occasionibus ut nos subtraheremus, deberemus, ut ait Ap. 1. ad Cor. 15., *exire de Mundo*; ut enim dicitur Sap. *Creaturae omnes in odium factae sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium* (14.). *Proxima* vero ex eod. *ea, in qua homines communiter ut plurimum peccant; vel ex qua, spectata alicujus fragilitate, prudenter timetur peccatum.* Hinc brevius, et pressius definitur *ea, quae vel ex suapte natura, vel ex peculiari alicujus dispositione exponit hominem probabili, seu verisimili peccandi periculo*: peccato

scilicet consentiendi, non vero tentationes tantum, aut motus carnales patiendi; haec enim, absente consensu periculo, utique ex justa causa permitti possunt. Si 1.m autem, occasio dicitur proxima *per se*: si alterum, occasio dicitur proxima *per accidens*. Haec igitur recta occasionis proximae definitio, non vero ea, quae a nonnullis traditur, *in qua scilicet homo constitutus, fere, vel fere semper peccat*; vel, ut alii inquiunt, *frequenter, aut frequentius peccat*; vel, ut ajunt alii, *saepius peccat, quam non*. Si haec namque dicenda esset occasio proxima peccandi, qui decies in mense cum ancilla peccasset, non esset in occasione proxima peccandi, quia nec *fere semper*, nec *saepius* peccasset: qui vero semel in anno alicubi accessisset, ac peccasset, nec etiam se exponeret proximae peccandi occasioni illuc accedendo, quia non peccasset cum ea *frequenter*: utrumque autem falsum esse, nemo est, qui non videat, et expresse idem Lig. l. c. advertit; quod nempe nedum qui habeat ad suam dispositionem mulierem, cum qua peccat, verum etiam qui cum ea peccet semper ac accedit in illius domum, in proxima peccandi occasione se constituit illuc accedendo, etiamsi semel in anno accederet, et peccaret. Ait proinde D. Carolus Borrom. Instr. Conf. p. 2. c. 15.: *Sub occasione peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam subministrat.* Et Greg. IX. c. *ult. de injur.*, ad imputationem homicidii docet sufficere ejus probabile periculum, dicens: *Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere.*

256. Item distinguitur proxima peccandi occasio in voluntariam, et necessariam: 1.a est *quae dimitti potest solo voluntatis arbitrio* Altera *quae vel physice, vel moraliter tolli nequit. Physice*, ut si quis esset in carcere, vel triremi, unde discedere non posset; vel in mortis articulo, in quo non haberet tempus, vel modum expellendi amicam, etc. *Moraliter*, ut si occasio esset ex arte, officio, negotiatione, qua quis se, suosque sustentat, nec inde se dimittens, posset juxta statum suum vivere; vel si ex dimissione occasionis grave aliquod damnum temporale, vel infamiam passurus esset. Quoad 1.m tamen, laudat Lig. n. 455. Sporerium, qui cum Palao non excusat aliquem mediocriter divitem, qui ne patiatur damnum centum ducatorum, occasionem nollet deserere. Quoad infamiam vero sapienter monet n. 452., quod turbari non debet Confessarius, si poenitens infamiam se passurum dicat, si post confessionem amplius ad illam domum non accedat, si mulierem expellat, aut simile effugiat periculum: vel enim malum ignoratur, et in hoc casu nihil quoque mali aliquis suspicabitur: vel jam alii id animadverterunt, et in hoc casu famam potius recuperabit, quam amittet. Ac ita quoque Ben. XIII. loquens de hero, qui ob ancillam, quam domi haberet, in proxima peccandi occasione versaretur; ac obtendens infamiam inde passurum, illam nollet dimittere; ait enim: *O la moglie, e 'l vicinato si sono avveduti della tresca, o no. Se se ne sono avveduti, si edificheranno, vedendola allontanata. Se no, stimeranno, che per tutt' altro motivo siasi licenziata la serva* (*Op. var. Avv. Past.* §. 9.).

Qua super re prae oculis quoque habendae sunt prop. illae ab Innoc. XI. proscriptae: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, vel honesta non fugiendi occurrit.* Ac: *Licitum est quaerere directe causam proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* At quoniam relatae propositiones proscriptae fuerunt *propter suam illimitatam amplitudinem*, communiter quoque DD. docent, ipseque Concina consentit, non teneri poenitentem occasionem dimittere, si ex ejus dimissione passurus esset infamiam vel gravissimum detrimentum: nam, ut Lig. disserit n. 455., praeceptum de proxima peccandi occasione fugienda eas respicit, quae sint voluntariae, non jam quae necessariae sint, non enim qui in periculo versatur, sed *qui amat periculum* (ut dicitur Eccl. 3.), *in illo peribit.* Amatne autem periculum, qui invitus subit? Jam vero occasio, quae sine infamia, vel gravissimo detrimento nequit dimitti, utique est moraliter necessaria: ergo. Sicut etiam docent, ac prae aliis Lig. n. 453., quod in necessitate extrema alicujus spirituali quisque et potest, et tenetur illi succurrere cum probabili, etiamque probabiliori peccandi periculo: in casu enim hujusmodi, modo lapsus non sit moraliter certus, exposcenda a Deo sunt uberiora, atque efficaciora auxilia, atque in his fidendum, non vero proximus in sua relinquendus necessitate.

257. Distinguenda demum est in occasione proxima *ratio occasionis*, et *ratio proximitatis*; quandoque enim utraque tollitur, quandoque tantum proximitas. Tollitur nempe occasio *in ratione occasionis* per separa-

tionem objecti, tollitur vero *in ratione proximitatis*, cum vel aufertur ab objecto vis causandi, vel opponitur impedimentum causalitati. Utque exemplo rem declaremus, docet, et perquam recte Tournelius, quod cum occasio externa conjungitur cum passione, vel tentatione vehementi, vel habitu vitioso, peccat, qui eam non relinquit, etsi nondum cesserit tentationi; cum raro accidat, quod talis diu se contineat, si ab occasione non separetur. Unde pergit, quod ancilla vivide sollicitata ab hero, tenetur ab illius famulatu discedere, si enim commorari pergat ubi tam periculose ad malum allicitur, egeret ad non labendum extraordinariis gratiae auxiliis, quae temere speraret dum lubens in periculo moraretur. Haec tamen intelligenda sunt, subdit Lig. n. 452., si ancilla hujusmodi sit fragilis, ac parum devota; si enim esset pietati dedita, et cauta, et opportuna adhiberet remedia ad tentationes repellendas, ac passioni obviandum, ad occasionem auferendam eam non obstringerem. Quare hoc autem, nisi quia in casu personae devotae, et cautae, atque opportuna adhibentis remedia ad non labendum habetur *ratio occasionis*, sed non *ratio proximitatis?*

258. Quibus praemissis: proscripsit Inn. XI. prop., quae ajebat: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest, et non vult omittere.* En igitur propositio falsa ab Ecclesia damnata. Quaenam consequenter vera? *Numquam posse absolvi*: idque 1.° quia volendo occasionem peccandi, vult quoque peccatum; ut enim ait D. Th. 1. 2. qu. 6.: *Qui vult causam, ex qua necessario, vel re-*

gulariter sequitur effectus, cupit virtualiter effectum. 2.° quia idem praeceptum, quod aliquod peccatum prohibet, hoc ipso prohibet illius quoque occasionem; quare et ipse Caramuel scripsit: *Dic eum, qui probabili periculo mortaliter peccandi se exponit, peccare non jam probabiliter, sed certo mortaliter* (*Theol. fund. n.* 511.). Distinguendum tamen est cum D. Carolo Borr. *in Instruct. Conf.* inter occasiones, *quae sunt in esse*, ut ejus, qui domi concubinam detinet, vel famulae, quae cum hero peccet: et eas, *quae non sunt in esse*, ut ejus, qui in ludo frequenter labitur in blasphemias, vel fraudes; qui in aliqua domo, caupona, aut conversatione incidit in ebrietatem, rixas, verba, aut gestus lascivos; nec non juvenum, et puellarum sibi invicem optantium in Matrimonium, ante quod secum conversentur: quidquid enim dixerit Ronc., quod nempe per aliquod tempus bene possint sese invisere, cum nemo teneatur ducere personam ignotam, quamqae expertus non fuerit, quibus moribus sit praedita; ego tamen, scribit Lig. n. 452., experientia doctus, vix semel, vel iterum permitterem sponso ad domum sponsae accedere, vel sponsae, aut parentibus illum in domo excipere, raro enim reperi, qui in tali accessu non peccaverit, saltem verbis, aut cogitationibus, cum omnes aspectus, et colloquia inter hujusmodi sint incentiva ad peccandum, et moraliter impossibile sit, ipsos invicem conversari, quin turpes stimulos non sentiant ad ea, quae conjugii tempore inter se futura erunt. Si agatur porro de occasionibus, *quae non sunt in esse*, docet Lig. n. 454. cum Borrom., quod si poenitens firmi-

ter proponat ab iis in posterum cavere, bene potest per unam, aut duas, etiamque tres vices absolvi: quodque si postmodum emendatio non appareat, tunc differri ei debet absolutio, donec cum effectu occasionem dimittat. Si autem agatur de occasionibus, *quae sunt in esse*, nec etiam prima vice poenitentem absolvendum, quascumque promissiones proferat, nisi prius occasionem dimittat: hujus namque dimissio, ut Lig. disserit, est res magnopere ardua, nec fit, nisi magnam sibi vim inferendo; ex quo sequitur, quod si occasio non auferatur ante absolutionem, deinde poenitens de facili se decipiet, quod, ea non dimissa, tentationibus resistet, ac redibit ad vomitum. Hinc vel poenitens petit absolvi ante occasionis dimissionem, et in hoc casu est indispositus, quia se constituit in probabili periculo infringendi propositum; ex quo sequitur, quod Confessarius illum absolvendo, peccaret contra officium Judicis, quia absolveret indispositum. Vel id non petit, et in hoc casu Confessarius illum absolvendo ante occasionis dimissionem peccaret contra officium Medici, quia dum dilatio absolutionis esset medium adeo poenitentis saluti necessarium, illud cum tanto ejus detrimento negligeret.

259. Excipiendum tamen ex eodem Lig. n. 454., et 456., 1.° si poenitens extraordinaria afferat doloris signa; cum ex his Confessarius prudenter judicare possit, non adesse in eo proximum periculum, de quo dictum est, infringendi propositum. Subjungens simul, quod in praxi, semper ac absolutio commode differri potest, semper etiam est differenda ipsi-

met poenitenti extraordinaria compunctione donato, donec cum effectu occasionem dimiserit. 2.°, si poenitens vel omnino nequeat ad Confessarium redire, vel nequeat ad illum redire, nisi post longum tempus; in quo casu si jam peccata confessus fuerit, et Confessarius prudenter judicare valeat, quod firmam habeat voluntatem dimittendi occasionem statim ac poterit, potest, et debet illum absolvere, quia ratione magni oneris, quod subire deberet, repetendi Confessionem apud alterum, reperitur in morali necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem dimittat. Modo tamen ab alio Confessario admonitus de occasione tollenda, illam non abstulerit; in quo casu habendus esset, ut recidivus, ideoque minime absolvendus, nisi forte extraordinaria doloris signa afferret.

260. Quod si occasio non sit voluntaria, sed necessaria, vel physice nempe, vel moraliter, neque etiam qui in ea versatur, absolvendus est, nisi prius per media illi a Confessario suggesta occasio ex proxima fiat remota. Sunt porro hujusmodi media a praesentia complicis semper ac potest se subtrahere, neque umquam complicem vel solitarie alloqui, vel ex voluptate, aut curiositate intueri; saepe inter diem renovare propositum non amplius peccandi, atque ad id ferventer implorando opportuna auxilia per J. C. merita, et B. V. intercessionem; huic frequenter se commendare, ac potissimum per quotidianam, et devotam Rosarii recitationem; novissimorum meditationi per aliquod tempus quotidie vacare; infra hebdomadam constanter ad Confessarium pergere, et cum eo con-

ferre ; carnem aliqua austeritate affligere , ec. ; quibus , et non prius , adhibitis , iisque proximitate occasionis sublata , absolvi potest: satis enim docet experientia , scribit Lig. l. c., quod absolutione iis dilata , vigilantius satagunt media suggesta adhibere , et tentationibus resistere, timore ducti , ne cum ad Confessarium redibunt , iterum absque absolutione dimittantur ; dum e contrario, statim iis data absolutione, media negligunt , et ad vomitum redeunt. Posito autem, quod in occasione necessaria , adhibitis adhuc mediis a Confessario suggestis , infelix poenitens semper eodem modo cecidit , nec ob extraordinaria doloris signa , quae forte in praesenti afferat , aliqua affulget emendationis spes , verior , ac tenenda sententia ex Lig. n. 457. docet , quod nequit in hoc casu absolvi , nisi occasionem deserat cum jactura adhuc vitae , si opus sit: cum enim nulla emendatio , nec ulla probabilis spes emendationis apparet , prout in casu proposito , nullatenus occasio potest a peccato abstrahi ; ex quo sequitur , quod aeque fugienda est , ac peccatum ipsum ; ideoque nedum cum quocumque damno temporali , jactura scilicet muneris , et famae , sed et cum jactura ipsius vitae. Quod confirmat et illis Christi verbis Marc. 9. *Si oculus tuus scandalizat te , ejice eum. Bonum est tibi luscum introire in Regnum Dei , quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Et auctoritate D. Caroli l. c. , ubi de puella , quae domi haberet occasionem necessariam , ita ait : *Sin autem post similes praecautiones comperiat Confessarius , poenitentem in illud peccatum relabi , deneganda prorsus est absolutio , donec dese-*

ruerit proximam peccandi occasionem, quidquid tandem evenire debeat.

261. Ex his etiam, quae dicta sunt de contritione, sequitur, quomodo agenda res sit cum consuetudinariis, et recidivis. Et 1.° consuetudinarius dicitur *qui ob peccata repetita in eadem materia facilitatem contraxit in eadem reincidendi*: quare videndum semper est, an in poenitente orta sit ex praeteritis peccatis facilitas hujusmodi, secus enim consuetudinarius dici nequit, ut advertit Colet *de Min. Poen. n.* 743. Docet caeterum Lig. in praxi Conf. c. 5. n. 70., quod quinque vices in mense jam possunt pravum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas intervallum aliquod intercedat. Subjungens simul, quod in materia fornicationum, sodomiarum, et bestialitatum multo minor numerus habitum queit constituere, qui enim ex. gr. semel in mense fornicaretur per annum, bene hic habituatus dicendus esset.

262. Quibus praemissis: qui prima vice pravum aliquem habitum confitetur, bene absolvi posse, docet Lig. num. 459., etiamsi nulla emendatio praecesserit, modo illam serio proponat: quia ex una parte praesumendum non est, quod voluerit indispositus ad Sacramentum accedere; et ex altera cum ipsa spontanea confessio sit signum interioris poenitentiae, nisi obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium, hoc ipso idcirco, quod sponte accesserit ad confitendum, jam signum praebet suae dispositionis. Nec obstat prop. damnata ab Innoc. XI., quae ajebat: *Habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei*,

naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, et proponere emendationem: cum enim quis prima vice aliquem pravum habitum confitetur, ex ipsa ejus confessione ob rationem mox allatam affulget emendationis spes, eaque tantum fit dubia, si cum eodem pravo habitu ad confitendum redeat. Ex damnatione autem relatae prop., ut recte advertit Milante, *non excluditur* (ab absolutione) *consuetudinarius utcumque talis, sed qui nullam dat emendationis spem.* Neque etiam obstat, quod sicut ei, qui est in occasione extrinseca necessaria differenda est absolutio ex dictis n. 260., donec per media a Confessario suggesta proximam peccandi occasionem reddiderit remotam, quia secus relinqueretur in periculo infringendi propositum; ita ob eamdem rationem differenda ei est, qui reperiatur in occasione intrinseca, ex pravo habitu scilicet proveniente: diverso enim modo, respondet Lig. n. 464., ad peccandum impellit occasio extrinseca, et prava consuetudo. Per praesentiam nempe objecti, quae vividas excitat cogitationes, nemo est, qui ignoret, quam vehementer occasio sensus moveat ad peccandum, affectumque ad peccatum reddat intensiorem: ex quo sequitur, quod homo in ea constitutus magnam sibi vim debet inferre, nedum ad superandam tentationem, sed ad conandum etiam, ut periculum per fugam familiaritatis cum persona complicis ex proximo fiat remotum. Non ita tamen prava consuetudo, quae cum non habeat objectum extrinsecum praesens, non ita utique ut occasio ad peccatum impellit. Non igi-

tur periculum infringendi propositum post absolutionem idem in utroque est. Cumque pravus habitus sit quid intrinsecum, et inseparabile a persona, ideoque ejus extirpatio minus, quam remotio occasionis, a voluntate pendeat, quam magis sperandum, quod habituatus potius per gratiam Sacramentalem, quam per dilationem absolutionis emendetur? Ut tamen docet idem Lig. in praxi conf. c. 5. n. 70., ipsi consuetudinario, qui prima vice pravum aliquem habitum confitetur, potest Confessarius, si habitus esset valde radicatus, absolutionem differre, et ut experiatur, quomodo praescripta ad emendationem media adhibeat, et ut majorem de adepto vitio concipiat horrorem. Atque haec satis de simplici consuetudinario.

263. Plura tamen de recidivo, qui definitur ex Lig. n. 459. *qui post Confessionem in eadem peccata relapsus est.* Sive, ut clarius se explicat in praxi Conf. c. 5. n. 71., *qui post Confessionem eodem, vel quasi eodem modo est relapsus absque emendatione.* De hujusmodi autem dum agatur, dicendum cum eodem Lig. l. c., quod Confessarius donec per experientiam non cognoscat se emendasse, nequit illum absolvere; nisi extraordinarium aliquod doloris signum in eo perspiciat: 1.m, quia non potest prudens judicium ferre de illius dispositione, cum, tametsi in alia Confessione admonitus, eodem tamen modo post Confessionem ceciderit. Secundum, quia extraordinarium afferens doloris signum, modo solidum, et fundatum, aufert indispositionis suspicionem, et praesumptionem ratione relapsuum.

264. Hujusmodi autem signa extraordinaria sunt ex

Lig. *ibid.* 1.° lacrymae, suspiria, aut cordialia verba, maxime si post auditam concionem, vel monitionem Confessarii praebentis aliquod compunctionis motivum. 2.° minor peccatorum numerus post ultimam absolutionem, modo poenitens fuerit in iisdem occasionibus, ac tentationibus peccandi; aut si ille post ultimam absolutionem diu se continuerit, ut per 20., vel 30. dies, cum antea assuetus fuerit prolabi pluries in hebdomada; vel si relapsus fuerit post magnum conflictum: quibus positis, quia de tali poenitente nequit judicium ferri, tamquam de recidivo, cum relapsus quidem fuerit, sed *non absque emendatione*, agendum proinde cum eo est, tamquam cum simplici consuetudinario. 3.° studium adhibitum ad emendationem, vel si ad bonam Confessionem in praesenti faciendam, jejunia, eleemosynas, orationes, et Missas adhibuerit, ac sponte occasionem dimiserit. 4.° spontanea confessio extra tempus Paschale, aliorumve Festorum, in quibus poenitens solebat confiteri, sed ex Dei motione; Deus enim cum movet ad confitendum dare solet, aut saltem non negat petenti praerequisita. 5.° confessio ob aliquod extraordinarium motivum, ut concionis auditae, mortis alicujus amici, terraemotus, pestis, etc., quae poenitentis cor concusserint ad dolendum de offensis Deo illatis cum proposito illum non amplius offendendi. 6.°, si poenitens, priusquam accesserit ad confitendum, magnam restitutionem fecerit. 7.° si ad monitionem Confessarii novam iniquitatum suarum cognitionem adeptum fuisse, significet, vel periculi suae damnationis.

265. Semper itaque, ac adest aliquod ex praedi-

ctis signis, ex quo prudenter judicari possit, poenitentem mutasse voluntatem, bene absolvi potest, cum jam det emendationis spem, quae si ab experientia habetur tantum indirecte, a signis extraordinariis habetur directe, cum haec directe fundamentum praebeant judicandi, Poenitentem mutasse voluntatem. Atque hic non est quidem negandum, quod Confessarii absolventes indispositos *vulnera liniunt*, *vermem conscientiae extinguunt*, *stimulum peccati auferunt*, *et securos peccatores ad inferna demittunt*, ut flet D. Th. a Vill. *ser. in fer.* 6. *post Dom.* 4. *Quadr.*, quos proinde ibid. vocat *pie impios*, *et impie pios*. Non est negandum, quod de Confessariis hujuscemodi loquitur Deus Jer. 6., ubi: *Curabant contritionem filiae populi mei cum ignominia*, *dicentes*: *Pax*, *pax*; *et non erat pax*. Et Ezech. 13.: *Vivificant animas*, *quae non vivunt*, *mentientes populo credenti menduciis*. Non est demum negandum, quod si debet Confessarius, et quidem maxime peccatorum misereri, debet simul prae oculis habere illud D. Ambr., qui ser. 4. in Ps. 118. expendens verba: *Et de lege tua miserere mei*, ita ait: *Lege miseretur*, *qui cum justitia*, *sapientiaque miseretur*, *ut ea dimittat*, *quae scit jure posse dimitti*, *ne cum alterius miseretur*, *seipsum legi faciat obnoxium*. *Immo consideremus*, *ne ipsum deteriorem faciamus*, *cujus miseremur injuste*; *plerumque enim non coercere delinquentes*, *majoris austeritatis est*, *quam si ulciscaris*. Nihil ergo horum negandum. Ad judicandum tamen de dispositione confitentium, *non tam consideranda est* (ut advertit D. Aug. in Enchir. c. 65.) *mensura temporis*, *quam doloris*,

cor enim contritum, et humiliatum Deus non spernit: ac cum Chrysostomo dicendum: *Temporis moram non quaero, sed animae correctionem. Hoc itaque fac, demonstrent, sint ne compuncti, sint ne in melius immutati, et res tota confecta est* (hom. 14. in 2. ad Cor.). Nec verum est, quod prompta ad Deum conversio sit adeo difficilis, ut Rigoristae jactitant; nec umquam esse possit, ut cum intolerabili rigore Jueninus loquitur in tract. de Poenit., *unius diei opus, sed multorum mensium, immo et nonnumquam annorum*: ad veram namque conversionem non requiritur, nisi dolor de Dei offensa cum proposito illum non amplius offendendi: quae ambo prompte concipi posse, ex eo patet, quod et gratia ad id necessaria nulli deest, saltem remote per orationem ex dictis l. 2. n. 86.; et motiva, quibus hujusmodi dolor, et propositum concipiuntur, tot, ac tanta esse possunt, cunctaque infiniti ponderis.

266. En propterea, ut ab utroque extremo, laxitatis scilicet, ac rigoris nimii, declinetur, prae oculis in praxi habenda ex Lig.: 1.° quod in aliis Sacramentis, cum materia sit physica, physica etiam requiritur certitudo: sed in Sacramento Poenit., cum materia sit moralis, prout sunt actus poenitentis, moralis etiam sufficit certitudo de poenitentis dispositione; non enim, ut ait D. Th. 2. 2. q. 47. a. 9. ad 2., *certitudo similiter quaerenda est in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum.* Hinc sufficit, quod Confessarius prudentem habeat probabilitatem de dispositione poenitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis, ut absolvi

possit, alias vix ullus posset absolvi, cum quaecumque poenitentium signa non praestent, nisi probabilitatem dispositionis (n. 461.). Utque loquitur Auctor libelli Romae editi, cui titulus: *Istruz. per i Nov. Conf. p.* 1. *c.* 15. *n.* 460.: *Non ricercasi altro, per amministrar la Penitenza, che un giudizio prudente probabile della disposizione del penitente. Onde se le circostanze non fondano un dubbio prudente, ch' egli non sia sufficientemente disposto, non dee il Confessore inquietar se stesso, nè il penitente, per averne l' evidenza, che non è possibile.* 2.° quod relapsus suspicionem quidem, non vero certum praebent argumentum, quod in anteactis Confessionibus dolor, vel propositum defuerit (n. 459.); sunt enim relapsus signum tantum inconstantiae voluntatis, quae multoties, ut cuique constare potest ex propria experientia, quamvis maxime serio, et sincere aliquid voluerit, illud deinde non amplius vult. Cui accedit, quod cum eadem poenitenti obligatio incumbat vitandi peccata antiqua, quam nova, quia utraque, antiqua scilicet, et nova, aeque debet propositum complecti; hinc sicut ex eo quod quis afferat nova, nemo prudenter judicat, quod defuerit dolor, vel propositum, sic nec etiam ex eo, quod antiqua afferat, est id judicandum; ac eo magis, quia facilius est vitare nova, quam antiqua, cum ad haec consuetudo adepta vehementius impellat. 3.°, quod ut poenitens prudenter judicetur habere sincerum dolorem, et propositum, non est opus, ut credatur non relapsurus, cum non consistat propositum in hoc, quod poenitens non sit amplius peccaturus, sed quod in prae-

senti voluntatem habeat non peccandi. Cumque idcirco dispositio sufficiens sit dolor, et propositum praesens, non emendatio futura, bene poenitens poterit absolvi, licet judicetur relapsurus (n. 459.). 4.° quod relapsus ob vim mali habitus absolvi debet semper ac firmam ostendit voluntatem adhibendi media ad se emendandum (n. 459., et in praxi Conf. c. 5. n. 73.); ubi etiam affert verba Auct. libelli, cui tit. *Istruz. per i Nov. Conf.*: *E giudichiamo, che 'l fare altrimenti sia troppo rigore, e che 'l Confessore facendolo, si allontanerebbe dal vero Spirito della Chiesa, e del Signore, e dalla natura del Sacramento, il quale non solamente è giudizio, ma è medicina salutare.* Idque confirmari potest et ex Rit. Rom. de Sacram. Poenit., ubi dicitur: *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe confiteantur, et si expediat, communicent*: dicendo enim remedium frequentis Confessionis utilissimum esse facile recidentibus in peccata, intelligi profecto nequit, nisi de iis, qui nondum pravum habitum extirpavere, ob cujus vim ceciderint. Et ex Trid. *sess.* 14. *c.* 2., ubi dicitur: *Poenitentes per Sacerdotum sententiam, non semel, sed quoties ad Poenitentiae Tribunal confugerint, posse ab admissis peccatis liberari*: quod frustra diceret, si, etsi Confessarius judicaret, quod poenitens serio doleat, illi tamen differre deberet absolutionem, nam confugeret ad Poenitentiae Tribunal, nec posset per Sacerdotis sententiam ab admissis peccatis liberari. 5.°, quod licet etiam poenitenti disposito possit quandoque Confessarius absolutionem differre, idque etiam sine ejus consensu, semper ac

prudenter judicet, dilationem prodesse illius emendationi, quia poenitens dum est dispositus, quamvis jus habeat ad absolutionem, non tamen jus habet, ut statim absolvatur: immo licet Confessarius in casu proposito, nedum possit, sed tenéatur quoque ex Lig. n. 462. illi differre absolutionem, modo poenitens infamiae notam inde subire non deberet, quia illi non solum Judicis, sed et Medici competit munus; regulam tamen, quam idem sequendam circa hoc proponit, est, quod si poenitens relapsus fuerit ex sola fragilitate intrinseca, ut in blasphemiis, odiis, delectationibus morosis, mollitie, raro differenda illi est absolutio, modo satis dispositus dignoscatur per signum extraordinarium. Et casu, quo videatur expediens absolutionem illi differre, non plus quam ad 8., 10., vel ad summum 15. dies differenda est. Si vero relapsus fuerit ex occasione extrinseca, differenda omnino ei est absolutio usque dum tollat occasionem, si sit voluntaria; si vero necessaria, usquedum occasio ex proxima fiat remota ex dictis n. 257., et sequ., ad quod certo non sufficit, ordinarie loquendo, dilatio 10., vel 15. dierum, semper tamen sufficiet experientia mensis, quin tamen poenitenti dicatur, ne redeat, nisi post mensem, quia animo deficeret, sed illi imponendo, ut redeat post 8., vel 15. dies, et sic blande illum transferendo ad recipiendam absolutionem in fine mensis (n. 463., et in praxi Conf. c. 5, n. 72.). Cui Lig. judicio favet Ben. XIV. in Bulla *Apostolica*, ubi Confessarios alloquens, qui ex justa causa poenitentibus absolutionem differunt, sic eos hortatur: *Illos quantocitius, ut revertantur, invitent,*

atque animos addant, ut ante reditum ea, quae illis agenda praescribuntur, rite perficiant, ex quo fiet, ut ad Sacramentale forum regressi absolutionis beneficio donentur.

Caput V.

De Confessione, et praecise de ejus necessitate tum de jure Divino, tum de jure Ecclesiastico, integritate, et objecto.

267. Post contritionem agendum modo est de Confessione, quae est altera Poenitentiae Sacramenti pars, ac definitur: *Accusatio legitima de peccatis propriis facta Sacerdoti jurisdictionem habenti ad veniam obtinendam virtute clavium.* Definiit autem quoad eam Trid. *sess.* 14. *can.* 7., ejusque verba hujus cap. materiae ordinem subministrabunt: *Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure Divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habetur, et circumstantias, quae peccati speciem mutant.. anathema sit.*

268. *Et* 1.° *necessarium est jure Divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia.* Qua super re, licet Confessionem non negaverint esse utilem, jure tamen Divino negarunt esse necessariam Lutherus, et Calvinus; ejusque legem ille dixit *cruentissimam carnificinam*, hic *tormentum Innocentianum*, quia ab Innoc. III. in Conc. Lat. IV. in Ecclesiam invectam. Probatur autem ex illis Christi verbis Jo. 20. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum.*

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt. Ita nempe ad Apostolos post suam Resurrectionem, juxta quod iisdem promiserat, cum ait Matth. 16. *Quaecumque alligaveritis super Terram, erunt ligata et in Coelo: et quaecumque solveritis super Terram, erunt soluta et in Coelo.* Ex quibus sic argumentamur: Relatis verbis Apostolos Christus instituit Animarum Judices, ac Medicos. *Judices*, cum illis dederit potestatem solvendi, ac ligandi, absolvendi scilicet, et condemnandi. *Medicos*, cum illis praefatam potestatem dederit perinde ac ipsemet eam a Patre acceperat; non ob aliud nempe, nisi ob animarum salutem, quae totus fuit ejus missionis scopus. Neutrum autem munus posset a Sacerdotibus exerceri absque clara, et praecisa cognitione peccatorum, atque infirmitatum poenitentis: Iisdem ergo verbis Christus imposuit simul fidelibus, ut ab admissis peccatis absolverentur, eorum claram, et praecisam confessionem penes Sacerdotes; idque magis, quia absque hac nescivissent quoque Sacerdotes, a quibus peccatis eos solvere, et quaenam retinere debuissent. Quare Trid. ait *sess.* 14. c. 5., quod ex relatis verbis *universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse a Domino integram peccatorum Confessionem . . . . . constat enim, Sacerdotes judicium incognita causa exercere non potuisse, neque aequitatem in injungendis poenis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.* Idem autem confirmatur et ex illis Actuum verbis 19. *Multi credentium veniebant confitentes, et annunciantes actus*

suos. Et ex illis verbis D. Jo ep. 1. c. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra.* Et demum ex illis verbis D. Jac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra . . ut salvemini.* His enim verbis loqui Apostolum de Confessione Sacramentali, ex eo patet, quod non quibusvis hominibus hortetur nos confiteri, sed Presbyteris, de quibus praemiserat verbis immediate praecedentibus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Ex quibus verbis infert: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*; quae conclusio non sequeretur ex praemissis, nisi Confessio facienda esset Presbyteris, quorum meminerat, ac nisi sensus esset: *Quia tamen hoc Sacramentum accipiendum est in gratia, qui ergo habeant alicujus peccati conscientiam, praemittant Confessionem Sacramentalem, tamquam dispositionem huic Sacramento necessariam, et ne obicem ejus virtuti opponant: quod faciendo, confitemini alterutrum, idest homines hominibus, sunt enim Presbyteri et homines.* Ex quibus patet, quam falso objiciat *Dallaeus*, quod Scripturae sileant de hac peccatorum confessione. Objicit 2.°, quod nonne potest quisque in suis negociis temporalibus, absque eo quod Judices a Rege constitutos adeat, ad Regem ipsum recte tendere? Aeque igitur ad peccatorum veniam obtinendam, potest, quin Sacerdotes adeat, recte ad Deum confugere. Sed resp. *neg. cons.*; facta enim lege a Christo, quod nemo post Bapt. lapsus veniam a Deo consequi valeat, nisi vel in re, vel in voto confiteatur peccata sua Sacerdoti, ubi hoc

desit, quaenam spes veniae esse poterit? Objicit 3.°, quod in *Orat. Dominica* ex Christi praescripto a Deo petimus, ut nobis peccata nostra dimittat, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* A nobis autem dimittenda sunt proximo quae in nos deliquerit, quin ab eo culparum in nos admissarum confessionem exigamus: Et nobis igitur Deus peccata dimittit, quin eorum a nobis confessionem exigat. Ad quod etiam resp. *neg. cons.*; cum enim a Deo petimus, ut nobis etc., id ab eo petimus, servatis legibus a Christo praescriptis, quarum una est eorum confessio; ac petitio pro objecto habet dimissionem, non vero dimissionis modum. Et sane si petitio haberet pro objecto modum dimissionis, argumentum *Dallaei* nimis probaret; nos enim debemus dimittere culpas proximi, etiamsi proximus nec nobis culpas ipsas confiteatur, nec veniam a nobis postulet, immo et nos persequi non desinat: dimittitne autem Deus peccata etiam peccatoribus veniam non poscentibus, immo in malitia obstinatis?

269. Ex dictis sequitur, peccatorum Confessionem ab ipsis Ecclesiae primordiis praeceptam, atque in usu fuisse. Hinc necessariam esse *in re* necessitate praecepti, ac *in voto* necessitate medii omnibus, qui post Bapt. graviter peccaverint, commune est ap. DD.: ejusque tempus tantum sancitum fuit in Conc. Lat. IV. sub Inn. III. can. 21., ubi: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti, alioquin et vivens ab Ecclesiae ingressu arceatur, et moriens Ecclesiastica careat sepul-*

tura. Utrumque tamen requirit Judicis sententiam, ut ex verbo *arceatur* constat: quare nullam jure comuni poenam incurri ab hujus praecepti transgressoribus, commune est apud DD. Sciendum porro est super hoc praecepto 1.°, quod ut docet D. Th. in supplem. qu. 6. art. 3. ad 3., *ex Decretali praedicta non obligantur, nisi illi, qui habent peccata mortalia, quod patet ex hoc, quod dicit* omnia sua peccata confiteatur, *quod de venialibus intelligi non potest: et secundum hoc ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad Confessionem venialium, sed sufficit ad praeceptum Ecclesiae implendum, ut se Sacerdoti repraesentet, et se ostendat abque conscientia mortali esse; et hoc ei pro Confessione reputatur.* Quod et docet Ben. XIV. *Not.* 18. §. 4.. 2.°, quod, ut idem Ben. docet *l.* 7. *de Syn. c.* 44. §. 4., per Confessionem factam cuilibet Sacerdoti Saeculari, vel Regulari ab Episcopo approbato satisfit huic praecepto, ex Const. Clem. VIII., et Innoc. X. Unde fideles, ut subdit Lig. n. 564., libere se possunt confiteri cuivis Confessario approbato, etiam tempore Paschali, et invito Parocho; illud enim *proprio Sacerdoti* intelligendum est, ut ibi ait Glossa, et Cabass. l. 3. c. 8. n. 9., *omni Sacerdoti, qui ab Ordinario est approbatus.* Et hoc saltem ex praesenti universali consuetudine hodie certum est, quidquid antiqui aliter dixerint. Hinc S. C. Episc. die 3. Aug. 1584. sic resolvit: *Decretum Episcopi, quod nullus Confessarius etiam ab Ordinario approbatus possit tempore Paschali Confessiones alicujus audire sine licentia proprii Curati, nullo modo est observandum, cum satis valide faciat poe-*

nitens, deferendo Parocho fidem Confessionis auditae a persona approbata. 3.° quod quamvis Conc. Lat. non determinaverit tempus, mos tamen invaluit intra quindenam Paschalem confitendi: *Quem morem* (ait Trid. sess. 14. c. 5.) *haec S. Synodus maxime probat, et amplectitur, tamquam pium, et merito retinendum.* 4.° demum consulantur quae diximus in tr. de Euch. c. 3. n. 129., et sequ.

270. Ad Confessionis modo integritatem convertentes sermonem, duplex haec est: formalis, idest *omnium peccatorum, quorum memoria post diligentem conscientiae disquisitionem habeatur, et quae attentis circumstantiis declarari possint, licet forte per innoxiam oblivionem, vel alia justa de causa peccatum aliquod praetermittatur*: et materialis, idest *omnium omnino peccatorum.* Prior autem sufficit, non enim semper requiritur secunda. Ut tamen hoc ea, qua par est, ratione tradatur, non excusat ab integritate materiali Confessionis nec frequens populi concursus ratione festivitatis, vel Indulgentiae, ut ajebat prop. damnata ab Innocen. XI.; nec infamia apud Confessarium subeunda. Primum, quia innumeris profanationibus Sacramentum tum Poenitentiae, tum Eucharistiae exponeret, utraque iis ministrando, de quorum statu nec factum fuisset, nec potuisset fieri rectum judicium. Alterum, quia infamia apud Confessarium subeunda est quid necessario consequens Confessionis praeceptum; utque D. Th. loquitur in 4. dist. 16. q. 1. a. 1., *in partem satisfactionis cadit.* Ab ea tamen excusat 1.° oblivio inculpata. 2.° impotentia actualis, vel imminens ex parte sive poenitentis, sive

Confessarii, qui ex. gr. non posset poenitentem lue infectum absque evidenti mortis periculo diutius audire. Mutus tamen, qui aliter nequeat confiteri, probabilius ex Lig. n. 479. tenetur confiteri per scripturam nedum in mortis periculo, sed etiam praecepti Paschalis tempore, modo absit moraliter manifestationis periculum, aut grave incommodum extraordinarium, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media non difficilia. Ignarus vero idiomatis tempore praecepti Paschalis non tenetur confiteri per interpretem: dumque esset in mortis periculo, sufficeret confiteri per interpretem unum tantum veniale: de quo tamen ex dictis n. 222. habere deberet dolorem, et propositum. 3.° justa formido damni gravis sive spiritualis, sive etiam temporalis inde orituri sive Confessario, sive poenitenti, sive etiam tertio, ex dictis l. 1. n. 87., quia nempe leges positivae cum tanto damno non obligant. *Confessario*, cui diutius cum poenitente acturo immineret periculum gravis morbi, perpetuae captivitatis, mutilationis, etc. *Poenitenti*, qui integre confitendo solide timeret, quod Sacerdos peccatum suum revelaret, vel grave ejus odium incurreret, ob quod deinde necessariis ad victum, aut vestitum privaretur, vel occasione confessionis suae sollicitaretur ad turpia, quia id scit aliis contigisse, etc. In quibus casibus tamen requiritur ex Lig. n. 487. necessitas confitendi, ex. gr. ob Communionem annuam, vel si esset confessio par duos, aut tres dies differenda ab eo, qui esset in peccato mortali. *Tertio*, ut si Sacerdos peccatum suum pandere non posset Confessario, quin hic alterius sibi noti culpam

ab eo Sacerdote in Confessione auditam intelligeret.

271. Advertatur demum cum *Cano de poen. p.* 6., quod *licet in judicio pure vindicativo exacta culparum cognitio requiratur, ut videlicet tanta sit poena, quantam quis per culpas meritus est; at in judicio hoc Sacramentali non exigitur exacta cognitio peccatorum, sed qualis, et quanta necessaria est ad curationem, et salutem poenitentis, haec enim hujus judicii finis est, ex c. Omnis, de poen., et remiss., ubi: More periti Medici Sacerdos diligenter inquirat peccatoris circumstantias, et peccati. . . Sat igitur erit, mediocri diligentia adhibita, paullo plus, vel minus numerum explicare: Verbi causa; est qui consuetudinem habet fornicandi. Si maximam sollicitudinem haberet, forsan certum posset exprimere: sed non tenetur, quia satis fuerit dicere: Habeo consuetudinem semel, vel bis in hebdomada fornicandi, vel peccavi hujusmodi peccatis fere quinquaginta, aut circiter centum, etc.; haec enim notitia sufficit Confessario, ut finem Confessionis praestet, sive consilium, sive remedium, seu vindictam salutarem.* Docet proinde Lig., quod Confessarius non debet nimis esse anxius in exquirendo peccatorum numero a poenitente consuetudinario, cum ab id genus poenitentibus impossibile saepe sit certum numerum habere: cumque ad Confessarii importunitatem respondent *centies*, *millies*, regulariter respondent solum divinando, quorum idcirco verbis quis prudens fidem dabit? Quodque melius se geret, si diligenter conscientiae statum exquirat: ac deinde poenitentem interrogando de lapsibus plus, minusve in die, vel hebdomada, vel mense, apprehendat saltem

in confuso peccatorum numerum durante consuetudine commissorum, quin certum judicium faciat cum periculo errandi (n. 466.). Nec qui particulam *plus minusve* post idoneum examen adhibuerit, tenetur deinde, confessione facta, majorem, quem postea forte detegat, numerum exprimere, si hic numerum, quem expresserit, notabiliter non excedat; ut si dixerit *decies*, *plus*, *minusve*, ac postea deprehendat, duodecies fecisse: et generatim a formula *circiter*, *plus*, *minusve* non comprehenditur quidem excessus, vel defectus quicumque, etiam notabilis, quod prudentis arbitrio aestimandum est, sed modicus relate ad numerum expressum bene comprehenditur, ut unum ex. gr. relate ad 3., vel 4., aut 2. relate ad 10., etc.: (Lig. num. 466.). Immo dum agatur de excessu, etsi hic sit notabilis, ut qui bona fide confessus fuerit 20. perjuria pro 10., non obligatur poenitens, confessione facta, ad numerum retractandum, tum quia minor numerus continetur in majori, tum quia sibi soli nocuit poenitens, graviori poenitentiae se subjiciens. Ob quam pariter rationem qui confessus fuerit mortale, tamquam certum, quale tum putabat esse, quamvis postea judicet esse dubium, non ideo tenetur illud iterum confiteri, tamquam dubium: tum quia illud confessus est, uti habebat in conscientia; tum quia qui absolvitur a peccato certo, magis absolvitur a dubio. Hinc e contrario qui confessus fuerit peccatum, tamquam dubium, quod postea cognoscat certo commisisse, tenetur iterum illud confiteri: ut enim disserit Lig. n. 478., licet peccatum fuerit directe absolutum, 1.° tamen expositum non fuit, ut in prae-

senti illud conscientia dictat. 1.° defuit confessio peccati quoad substantiam, quae consistit in ejus cognita gravitate. 3.° haberi etiam potest tamquam nullatenus confessum, quia in accusatione dubia nullatenus includitur certa.

272. Ad id porro, unde discessimus, redeuntes, addunt Anacl., et Lugo, relatis prius Tridentini verbis: *Si quis dixerit etc.*, quod dum multum difficile est explicare peccatorum numerum, sufficit dicere tempus, quo in tali statu, et consuetudine peccandi perseveratum fuerit; addendo solum numerum actuum externorum in iis peccatorum speciebus, quae non ita frequenter occurrunt, haec enim peccata possunt facilius numerari: estque ratio, quia sic jam sufficienter innotescit Confessario status poenitentis, simulque enumerantur distincte peccata quantum moraliter, et humano modo hic, et nunc fieri potest. Similiter quoque laudatus Canus l. c., ubi relatis supra verbis subdit: *Immo et haec mediocris diligentia nec etiam quandoque necessaria erit. Sit prostibulum (ex. causa) decem annos in lupanari: hanc, inquam, non est opus sollicitam reddere, ut explicet, an centum millia peccatorum commiserit, plus minusve, sed sat erit ita dicere: Ego decem annos in hoc vitio fui, quoslibet homines admisi, qualibet hora parata fui, etc.: quia ex eo tantam accipit Confessarius notitiam, quanta opus est ad quemcumque finem Confessionis consequendum, immo quantam potest poenitens illi dare, etiamsi exprimat sexties millies peccavisse. Quare non debet Confessarius vexare poenitentes, punctim interrogando de numero per anxiam et puerilem supersti-*

tionem, faciens eos vel mentiri, vel certe falsum dicere. Quibus addere Paulum Segneri, virum pietate non minus, quam doctrina insignem, nec non B. Leonardum a Portu Mauritio valde utile existimamus: *Quando non riesce* (ita Segnerius in opusc., cui titulus *Il confessore istruito c. 2.*) *sapere il numero certo, o almeno probabile, s' interrogli grossamente del tempo, che durò il male, e della frequenza, con cui tornavasi a commettere ogni mese, ovvero ogni settimana. Anzi in certi atti interni, come sarebbero di odio, di oscenità, non accade nemmeno ordinariamente nelle confessioni lunghe dimandar di questa frequenza, così precisa, perchè ella il più delle volte non può spiegarsi senza grave rischio di errare o per difetto, o per eccesso, ma basterà dimandare allora del tempo, quanto alcuno stette in quella discordia, quanto tempo uno seguitò quella donna.* Ita vero B. Leonardus in suo Catechismo italice edito: *Quando non si possa rinvenire il numero probabile de' peccati senza pericolo di grave abbuglio, che deve farsi? Allora si deve spiegare il tempo, e la frequenza di un tal peccato: come per es., mentre io era di 15 anni un mio maledetto compagno m' insegnò a commettere la tale iniquità, e seguitai a commetterla fino all' età di 30 anni due, o tre volte la settimana, in alcune una volta sola, e qualche volta passava una settimana intiera senza commetterla. Nell' età di 20 anni presi una mala pratica, e mantenni quest' amicizia fino alli 25. D' ordinario offendevo Dio una volta la settimana, alle volte passavano 15. giorni, e qualche volta ancora un mese. E quando*

sia tanta la confusione del vostro capo, che non possiate manifestare nè il numero certo, nè il numero probabile, e nemmeno il tempo, e la frequenza, allora basterà esprimere il mal abito, acciò il Confessore da se progetti un numero solito a progettarsi ne' mali abituati, atteso che nessuno è tenuto all' impossibile. Ma basta confessarsi in questo modo? E perchè non basta? Piacesse a Dio, che tutti si confessassero in questa maniera, dicendo chiaramente S. Tommaso, che il Confessore non deve pretendere di cavare dal suo penitente più di quello, che moralmente si può. Quae tamen dicta sint ad levandum animum Confessariorum, qui plus aequo anguntur, et cruciantur in exquirendo peccatorum numero a valde scelestis peccatoribus: methodus enim in hoc sequenda ea est, quam supra n. 271. ex Lig. tradidimus. Reliqua Trid. verba expendamus.

273. *Quorum memoria etc.* Hinc quaeritur an peccata dubia sint necessario confitenda? Ad quod respondemus cum Lig. n. 474., quod si dubitetur, an peccatum, quod certe commissum est, fuerit, necne confessum, certe peccatum confitendum est, cum obligatio confessionis sit certa, et satisfactio dubia. Praeterquam si quis diligens in suis peccatis confitendis dubitet inde post longum tempus a peccato patrato, an illud, necne confessus fuerit; sicut etiam si quis prius in plura lapsus peccata, et postea vere conversus per constantem vitae integritatem, dubitet, an omiserit in Confessione generali, vel particulari facta cum debita diligentia aliquod peccatum, vel circumstantiam: cum uterque possit credere moraliter

certe nihil omisisse, ac potius quam de praeterito recogitare, piis meditationibus tempus impendere: exceptisque etiam scrupolosis, ut infra dicetur. Si vero dubium versetur circa ipsum peccatum, dicimus cum eodem Lig., probabilius nullam adesse obligationem confitendi peccata positive dubia, cum nempe utrinque adsunt rationes probabiles, quod peccatum mortale fuerit, vel non commissum; et ex satis probabili sententia neque etiam mortalia negative dubia: 1.° enim non ait Trid. *sess.* 14. *c.* 5., quod poenitentes tenentur ad confitenda omnia peccata mortalia, *uti sunt in conscientia*, vel ut certa nempe, vel ut dubia, sed *quorum conscientiam habent.* Conscientia autem non est suspensio judicii, id est dubium, sed est judicium practicum de peccato commisso. 2.° ait, quod tenentur ad confitenda peccata, *quibus se Deum mortaliter offendisse meminerint.* Dubitare autem non est meminisse, sed potius non meminisse. *Chi dica* memini me fecisse (ita apposite Bolgenius in op., cui tit. *Il possesso* c. 18. n. 174.), *mi ricordo di aver fatta la tal cosa, intende dire: Lo so bene; sono sicuro, etc. Quando si dubita di aver fatto un peccato, o che il peccato sia mortale, si può egli dire: Lo so bene; sono sicuro? Memini di aver fatto un peccato mortale? No, non si può dire; ripugna in terminis. Dunque etc.* 3.° quia cum pro delicto dubio non sit onus certum imponendum, neque igitur pro peccato sive positive, sive negative dubio onus certum Confessionis imponendum est. 4.° quia lex confitendi mortalia sive positive, sive negative dubia ipsamet saltem est dubia, utque talis

nequit obligare. Contraria autem praxis fidelium, ut recte scribit Holzman, forte continuata est ex errore, qui nequit inducere consuetudinem obligatoriam. Ut tamen subdit, omnino in praxi suadenda est poenitentibus Confessio mortalium tam positive, quam negative dubiorum ad tranquillitatem conscientiae. At exceptis, ut Lig. monet n. 476., et sequ., 1.° scrupulosis, qui omnino eximi debent ab obligatione confitendi peccata dubia, ipsi enim tantum confiteri tenentur certe mortalia, et de quibus certe numquam sint confessi; utque alii addunt, nonnisi ea, quae possunt jurare esse mortalia, et numquam dixisse. 2.° iis, qui sunt timoratae conscientiae, et non solent deliberate lethaliter peccare: hi enim in dubio moraliter certi esse possunt non consensisse, quia praesumptio sumitur ex communiter contingentibus, ut et diximus l. 5. n. 54. Cumque in dubio oppositum praesumendum sit de iis, qui peccata negligunt, quibusque passim, ac de facili se onerant; hinc quaestio, an peccata dubia, cum dubium versatur circa ipsum peccatum, sint necessario confitenda, non est, nisi vocum, ac si habet locum in abstracto, in concreto tamen vel nihil prorsus, vel vix locum habet; sed quum agitur de iis, qui sunt timoratae conscientiae, in dubio praesumendum est, quod non consenserint peccato; si vero de iis, qui peccata negligunt, in dubio praesumendum est, quod peccato consenserint.

274. *Cum debita, et diligenti praemeditatione habeatur*: non enim tenetur poenitens diligentissimam, sed *diligentem* tantum *sui discussionem* facere, ut idem Trid. loquitur *sess.* 14. *c.* 5., quia diligentissima,

et summa Sacramentum redderet maxime onerosum, et taediosum, conscientias vero inquietas, ac semper anxias, an summam illam, ac diligentissimam discussionem adhibuerint. Certum autem est, Christum ita Sacramenta instituisse, ut noluerit eorum vel administrationem, vel susceptionem esse moraliter impossibilem, et odiosam tam ministraturis, quam susceptu-ris; ex quo sequitur, administrationem, vel susceptionem nimiis scrupulis, aut difficultatibus obnoxiam juxta Christi institutionem non esse. Hinc quoad praxim si post adhibitam moralem diligentiam putet poenitens, adhuc fore, ut si plus temporis impenderet in sui discussione, occurrerent memoriae alia etiam peccata, non tenetur ideo plus temporis in id impendere, quia non tenetur ad diligentissimam, et summam, sed ad diligentem tantum sui discussionem. Hinc etiam dicendum, neminem obligari ad sua peccata scribenda, etsi timeat se eorum obliturum; nec qui multoties peccavit cum complice ad hunc interrogandum de numero; nec qui toto anno ex. gr. omisit Missam in die festo ad videndum in Kalendario, quot festa interfuerint, cum sint hae omnes diligentiae extraordinariae, quas Trid. non exigit.

275. *Et circumstantias, quae speciem peccati mutant.* Praeter quas, etsi doceant magni nominis TT., confitendas quoque esse circumstantias notabiliter aggravantes, tum quia ejusmodi circumstantiae valde immutant Confessarii judicium, tum quia et Rit. Rom., et Catech. Rom. id videntur praescribere: probabilius tamen id nos negamus cum Lig. n. 468. Et probatur 1.° ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5., ubi nedum ait,

eas circumstantias in Confessione explicandas, quae speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a poenitentibus integra exponantur, neque judicibus innotescant, ut de quantitate criminum recte censere possint, et poenam, quam oportet, imponere, sed ut praeceptum Confessionis ab haereticorum calumniis vindicaret, subdit, *impium esse, Confessionem, quae hac ratione fieri praecipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare: constat enim, nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut.. ea peccata, etc.* Juxta Trid. igitur, etsi circumstantiae notabiliter aggravantes valde immutent Confessarii judicium, eas tamen Christus confitendas non praecepit, ne Confessionis praeceptum fuisset impossibile, vel conscientiarum carnificina appellaretur; atque id juxta ipsum Trid. non est dubium, sed *constat*. Cui accedit, quod cum in principio sessionis spopondisset, accuratam Sacramenti Poenitentiae definitionem traditurum, hinc si necessarium judicasset confiteri circumstantias quoque notabiliter peccatum aggravantes, id profecto declarare non omisisset. 2.° ex D. Th., quem certe pro hac sententia fuisse, extra dubium est, ita enim docet in 4. d. 16. q. 3, a. 2.: *Quidam dicunt, quod omnes circumstantiae, quae aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis est, si memoriae occurrant. Alii vero dicunt, quod non sunt de necessitate confitendae, nisi circumstantiae, quae ad aliud genus peccati trahunt; et hoc probabilius est: sed addendum est, quae ad aliam speciem mortalis trahunt: cujus ratio est, quod venialia non sunt de necessitate*

Confessionis, sed solum mortalia, quae quantitatem infinitam quodammodo habent: et quia circumstantiae aggravantes, quae aliam speciem peccato non tribuunt, vel quae tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate Confessionis, tamen eadem confiteri perfectionis est, sicut et de venialibus dictum est. Lepidum porro est, quod et Sotus, et Canus heic loci inquiunt, revera divinando, quod S. D. senex retractasset, quod junior scripserat. 3.° quia explicans circumstantias mutantes speciem peccati, jam vere confitetur, et explicat essentiam peccati, cum peccati quidditas, sive essentia sumatur ex ipsius ratione specifica; nec Christus aliud praecepit, quam Confessionem peccatorum. 4.° quia si tenerentur fideles manifestare circumstantias notabiliter aggravantes, tenerentur etiam confiteri illas notabiliter minuentes, quod nempe peccaverint ex ira, metu, intensiori passione, inductione aliorum, et similibus, quod et Adversarii negant. 5.° quia saltem versamur in lege dubia, quae proinde obligare nequit; idque magis, quia non agitur de re ad Sacramenti valorem pertinente.

276. Quo tamen modo Bolgenius disserit super relatis Trid. verbis in opere, cui titulus *il Possesso c. 18. n. 173.* et sequ., revera praetermittendum non est: *Si rifletta bene alla significantissima parola* Constat. *Il Concilio non ha finora nominato altro, che le circostanze mutanti specie: delle circostanze o molto, o poco aggravanti, non ha detto parola. Dopo ciò conchiude, esser cosa certa, e decisa, che non vi è altr' obligo*: Constat nihil aliud exigi ec. *Richia-*

misi qui la regola del Gius Canonico: Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda. *Poteva il Concilio dire apertamente, che vi era obligo di confessare non solo le circostanze mutanti specie, ma quelle ancora notabilmente aggravanti: tanto più, che nel Procmio di quella sessione protesta di voler dare circa il Sacramento della Penitenza, e gli obblighi relativi a questo Sacramento una dottrina compiuta, ed esatta*, pleniorem, et exactiorem. *Ora il Concilio non solamente non ha detto* apertius, *esservi obligo di confessar le circostanze notabilmente aggravanti, ma ha usato espressioni tali, che apertamente escludono quest'obligo. Dunque.. Ma il Concilio avea fissato la massima di non decider punti disputati fra i Cattolici. Chi lo dice? Come si sa nel nostro caso particolare? Lutero diceva, che la Confessione Sacramentale era un peso insopportabile, una carneficina delle coscienze. Il Concilio vuole abbattere, e sterpare cotesto errore: perciò determina* plenius, et exactius, *quali siano gli obblighi della Confessione, e riduce questi oblighi al numero, alla specie, ed alle circostanze mutanti specie dei peccati mortali. Da ciò finalmente conchiude contro Lutero, che l'obbligo della Confessione non è un peso insopportabile, non è una carneficina delle coscienze. Tal era lo scopo prefissosi dal Concilio: e da ciò può legittimamente inferirsi, essere stata sua positiva intenzione di escludere l'obligo, del quale parliamo. Giacchè, a ben considerare le cose, se si ammette quest'obligo, si vedrà quanto più grave si faccia il peso della Confessione, e quante angustie debba portare alla coscien-*

za. Ma ammettasi pure, non aver avuto il Concilio positiva intenzione di decidere la nostra quistione. Ciò prova soltanto, che tal decisione non è un articolo di fede Cattolica. Del resto quando una dottrina s' inferisce con raziocinio giusto, e stringente dagl' insegnamenti di un Concilio Ecumenico, tal dottrina si tiene da tutti per teologicamente certa. . Ma tali circostanze variano assai il giudizio del Confessore? Rispondo: La Chiesa, interpetre infallibile della legge Evangelica, e dei precetti lasciatici da G. C., Ella ci ha detto con chiarissime parole, che la varietà del giudizio dipendente dal numero, e dalla specie de' peccati, G. C. ha comandato, che entrasse nel processo, che il peccatore fa a se stesso, ed esibisce al Sacerdote Giudice: la varietà poi dipendente dalle circostanze aggravanti non ha comandato, che ci entrasse. Tutto è dipenduto dalla libera volontà di G. C. Poteva egli comandare, che si confessassero anche i peccati veniali: non ha voluto farlo. Così pure non ha voluto comandare, che si confessassero le circostanze aggravanti; e di ciò ci assicura la Chiesa: Constat in Ecclesia, nihil aliud a poenitentibus exigi ec. *Le parità, e i raziocinj non vaglion niente, quando si tratta di cose, che dipendono dalla libera volontà di Dio. La Chiesa è quella, che in queste c' istruisce con infallibile magistero.* Negandum tamen non est, quod per accidens potest quoque praefata obligatio adesse: ut cum circumstantia, etsi tantum aggravans, praeseferret censuram, vel reservationem; vel a prudenti Confessario interrogetur, ad medicinam, vel restitutionem imponendam: quo sensu de facili intelligi possunt et

Rit. Rom., et Catech. Rom., ubi oppositae sententiae videntur favere. Utque advertit Lig. n. 467., odium quoque diuturnum, sicut etiam concupiscentia diuturna mulieris necessario sunt exprimenda in Confessione, non tam ratione circumstantiae aggravantis, quam propter numerum peccatorum, quae in illa diuturna mora replicantur.

277. Tria demum super hac parte Sacramenti Poenit. discutienda supersunt: 1.° an praeceptum confessionis vetet absolvere moriturum, qui per signa tantum poenitentiae, vel neque etiam per haec signa confiteatur? 2.° an integritas confessionis obliget ad manifestandum complicem? 3.° quandonam mendacium in Confessione illam sacrilegam reddat? Quoad 1.m autem certum est, quod moribundus, qui dat poenitentiae signa Sacerdoti praesenti, absolute est absolvendus, idque toties, quoties nova praestet ejusmodi signa, utpote quibus jam se peccatorem confitetur eo modo, quo potest. Objicitur quidem 1.° a Soto, Cano, aliisque, quod actus judicialis exerceri nequit, nisi accusatio praecesserit. Resp. tamen, quod praecessit accusatio eo modo, quo ab infirmo in extremis constituto fieri potest. Objicitur 2.°, quod sententia absolutionis ferretur incognita causa. Resp. tamen, quod fertur, non quidem incognita causa, sed causa non plene cognita, eo quod Confessio *formaliter integra* in praecepto est, non vero *materialiter integra*. Objicitur 3.°, quod nihil adesset, super quo caderet absolutio, non enim directe super peccata infirmi, utpote quae alias non teneretur postmodum confiteri; non indirecte, cum nullum pecca-

tum explicetur, et directe absolvatur. Resp. tamen, quod absolutio cadit directe super omnia illius peccata sub ratione generica peccati, ut accidit, ait Lig. n. 480., in naufragio, bello, ec., praedictis enim poenitentiae signis an non satis confitetur infirmus, etsi in genere, quod peccaverit? Indirecte vero super peccatis particularibus: quae idcirco infirmus ex illo periculo emergens tenetur postea in particulari confiteri.

278. Quid autem dicendum de moribundo, qui nec per poenitentiae signa confiteatur? Qua super re docet Lig. n. 481., et sequ. 1.°, quod si per testimonium adstantium desiderium absolutionis ostenderit, absolvendus est, tametsi sub conditione. Quod probatur ex D. Th. *opusc.* 65 *de Sacr. unct.*, ubi: *Si infirmus, qui petit unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, ungat eum Sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, et a peccatis absolvi.* Nec non ex Rit. Rom. *de Sacr. Poen.* §. *Ordo ministrandi*, ubi loquens de moribundo in quaestione, ait, *confitendi desiderium sive per se, sive per alium ostenderit, absolvendus est.* Nec obstat Decr., quo Clem. VIII. damnavit confessionem factam absenti per epistolam, vel nuncium: teste enim et Petro Lombardo, et Card. Bellarm. idem Clemens declaravit, noluisse sub tali Decr. moribundi casum comprehendere; quod et deinde, teste Suaresio, confirmavit quoque Paulus V.. Docet 2.°, quod absolvendus quoque est sub conditione, etiamsi nullus adsit testis de aliquo poenitentiae signo ab aegroto praestito, dummodo Christiane vixerit:

tum quia ipsa vita Christiane acta non incertum est volitae absolutionis signum ; tum quia in extrema illa necessitate merito praesumendum, quaedam ab aegroto dari signa, quae Confessarius percipere non possit; quodque noscens damnationis suae periculum, vel antequam sensibus destitueretur, vel iis destitutus in aliquo lucido intervallo, vel tunc voluerit, vel nunc velit, ac petat absolutionem signis vere sensibilibus, per suspiria scilicet, alios que motus corporis, ac etiam per anxiam respirationem, quae bene in tanta necessitate sufficiunt ad absolutionem dandam sub conditione. Cui accedit, quod ex una parte commune est, quod in casu extremae, vel urgentis necessitatis licitum est in administratione Sacramentorum uti materia nedum dubia, sed etiam tenuis probabilitatis; et ex altera per conditionem, sub qua Sacramentum ministratur, satis reparatur ipsius Sacramenti injuria. Docet 3.°, quod absolvendus quoque est sub conditione, etiamsi fuerit sensibus destitutus in actu peccati, puta adulterii, duelli, etc., modo catholicus. Quod probatur 1.° ex D. Aug., qui loquens de involutis in conjugiis adulterinis, ait, quod si eos *finiendae vitae periculum praeoccupaverit, nec ipsos ex hac vita sine arrha suae pacis exire velle debet Mater Ecclesia: ac multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet* (*l.* 1. *de Adulter. conjug. c.* 26. *et* 28.). 2.° quia et pro hoc merito praesumi potest, quod in proximo periculo suae damnationis constitutus omni modo cupiat suae saluti consulere. Modo tamen diximus *catholicus*, secus enim dicendum de haeretico, qui etsi

daret signa poenitentiae, absolvendus tamen non esset, nisi expresse absolutionem peteret; cùm enim tales summopere a Confessione abhorreant, prudenter praesumi nequit, quod ea signa praebeant in ordine ad Confessionem.

279. Quoad 2., utique poenitens tenetur ad confitendas circumstantias mutantes peccati speciem, etiamsi id fieri debeat manifestando complicem, quando commode nequeat alium Confessarium adire; cui complicis persona sit ignota, tum quia licet alterius criminis manifestatio ex justa causa; tum quia complex peccato consentiendo amisit jus ad famam in ordine ad illius confessionem. Diximus simul, *quando commode etc.*, ad quod revera tenetur, ut famam proximi servet; sed excusatur 1.°, si urgeat periculum mortis, vel praeceptum annualis Confessionis, et Communionis. 2.° si non communicando, vel non celebrando incurreret infamiae notam. 3.° si existens in mortali, manere deberet sine absolutione etiam per diem. 4.° si credatur complex suae famae cessisse, ut si frater peccasset cum sorore, quam scit, sejungi non posse a Matris comitatu, ut alium adeat Confessarium. 5.° si quis difficulter alteri, quam consueto Confessario suam conscientiam aperiret. 6.° si quis ob consolationem, quam sentit ab amico, vel docto Confessario, nollet alium quaerere. Quae omnia docet Lig. n. 490.; addens quoque, saepe excusari matres, et uxores manifestantes peccata filiorum, et virorum Confessario, qui hos novit, cum id communiter faciant ad petendum consilium, vel leniendum dolorem, et aliunde nimis iis esset durum novos Confessarios

adire. Quibus positis, angi non debet Confessarius, si poenitens ex allatis causis (uti etiam si ex ignorantia) complicem ex se manifestet.

280. Quod si poenitens tenetur ad manifestandum complicem peccati, quando id exposcat integritas Confessionis, tenetur quoque Confessarius ad eamdem servandam circumstantias exquirere mutantes speciem peccati, etiamsi patefieri nequeant absque complicis manifestatione: immo et alias circumstantias, quae necessariae sint, ut poenitentis saluti consulat, ex. gr., si persona, cum qua peccaverit, sit ejus ancilla, si in eadem domo habitet, etc.. Numquam tamen ob alium finem; inflixit namque Ben. XIV. Bulla *Ubi primum* excomm. ipso facto incurrendam, ac Papae reservatam (reservatione tamen generali, et a qua excusat ignorantia etiam vincibilis), si quis *ausus fuerit docere, vel scribere, aut loqui in defensionem*, quod licet *a poenitentibus complicis nomen exquirere, atque ad illud sibi revelandum inducere non modo suadendo, sed denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis Sacramentalis negatione*: sicut etiam, si qui ab ipso decreta contra ejusmodi praxim *impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere, seu interpretari praesumerent.* Loquens autem *de Confessariis exquirentibus, eidem poenitenti, si manifestari renuerit, Sacramentalem absolutionem denegando*, inquit: *Noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum Confessionum, aliisque etiam gravioribus poenis fore subjiciendos.* Addens demum, quod quicumque non ex confessione sua, sed aliunde aliquem noverit Confes-

sarium exquirentem nomen complicis cum denegatione absolutionis, tenetur illum intra solitum terminum denunciare sub poenis consuetis, praeterquam si Confessarius ex simplicitate hoc faceret. Spectata autem tam rigorosa hac super re Pontificis prohibitione, docet Lig. n. 492., quod casu quo penitens teneatur complicem patefacere ad mala, vel scandala vitanda, numquam licebit Confessario dicere: *Revela mihi*, sed debet poenitenti imponere in genere, ut complicem revelet alicui, qui mala illa, ac scandala impedire possit: quodque si poenitens ex se rogaret Confessarium, ut complicem corrigeret, ordinarie loquendo, non expedit, ut se in rem hujusmodi immittat, cum ipsi tantum incumbat curare damnum sui poenitentis, non alienum, et solummodo intra confessionem, non extra; nec de facili assumet hoc munus sine periculo scandali, et offensionis sacri ministerii.

281. Quoad 3.m, mendacium, ob quod desit absolutionis materia; vel circa materiam necessariam Confessionis, puta numerum peccatorum lethalium, vel aliquam circumstantiam, quae speciem peccati mutet; vel demum afficiens judicium Confessarii super poenitentis dispositione, sit, necne ex. gr. consuetudinarius, sit, necne recidivus, sit, necne in proxima peccandi occasione, sacrilegam procul dubio confessionem reddit: secus mendacium leve in re prorsus confessioni extranea; licet valde timendum sit, ne poenitens, qui in ipsa Confessione mentitur, debita contritione careat.

Caput VI.

De 3. parte Sacramenti Poenitentiae, idest de satisfactione. Et 1.° de satisfactione Sacramentali.

282. Quamvis tantum integralis, est tamen satisfactio tertia hujus Sacramenti pars, ut diximus n. 221.; eaque dicitur Sacramentalis, *quae a Confessario poenitenti injungitur.* Nequit autem ab illa injungenda abstinere 1.°, quia, ut ait Trid. sess. 14. c. 8., *ipsius justitiae ratio exigere videtur, ut aliter a Deo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter, qui semel a peccati, et Daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scienter Templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint.* 2.° quia, ut ait id. Trid. nedum datur *ad praeteritorum peccatorum vindictam, et castigationem, sed etiam ad vitae novae custodiam, et infirmitatis medicamentum; procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fraeno quodam coercent hae satisfactoriae poenae, cautioresque, et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt* (ibid.). Utrumque vero debet quoque poenitentem movere ad illam corde adimplendam: et quia nempe dum sumit debitam de peccatis poenam, prout vere poenitentis est, (quis enim vere poenitens, nisi sibi iratus, quod Deum offendere ausit?) ipsi simul prodest ad remedium, ut in posterum caveat: et quia persuasum habere debet, quia post remissionem peccati mor-

talis quoad culpam, et reatum poenae eternae, luenda semper superest poena aliqua temporalis, nisi vehementi contritione deleatur: quod patet ab exemplo Davidis, qui post veniam impetratam adulterii, et homicidii, quae patraverat, filii tamen morte punitus fuit, juxta quod Nathan illi dixerat: *Dominus transtulit peccatum tuum. Verumtamen, quia blasphemare fecisti nomen Domini, filius, qui natus est tibi, morietur, etc.* (2. *Reg.* 12.). Satius autem est hic, quam in altera vita illam luere, tum quia *horrendum est* (ut ait Ap.) *incidere in manus Dei viventis*: tum quia, ut ait ibid Trid., *dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur*, idest satisfacimus simul et meremur: tum demum quia per poenitentiam a Confessario impositam poena temporalis luenda deletur non solum *ex opere operantis*, sed etiam *ex opere operato*, ut enim D. Th. docet: *In ea operatur vis clavium, ideoque valet ad expiandum peccatum magis, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus* (*quodlib.* 3. *q.* 12. *a.* 1.). Et sane sunt contritio, confessio, et satisfactio partes Sacramenti Poenitentiae, *quatenus*, ut ait Trid. sess. 14. c. 3., *ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur.* Pars autem Sacramenti effectum sibi respondentem producit *ex opere operato*: ergo et satisfactio Sacramentalis ad peccatorum remissionem prodest *ex opere operato*: ex quo sequitur, plus operari modicam satisfa-

ctionem Sacramentalem, quam multo majorem sponte susceptam. Injungere autem illam potest Confessarius vel ante, vel statim post absolutionem, quia utrolibet modo censetur moraliter aliis Sacramenti partibus conjungi: licet satius sit illam injungere ante absolutionem, ad cognoscendam praesertim poenitentis dispositionem, an scilicet sit, necne dispositus ad dignos faciendos poenitentiae fructus. Lig. n. 515.

283. Quibus praemissis, videamus 1.°, quaenam regulae habendae sint prae oculis a Confessario in illa injungenda. Sunt autem hae. 1.°, quod esse debet et vindicativa, et medicinalis, ut patet ex relatis Trid. verbis. *Vindicativa* autem erit, sive injungantur jejunia, sive orationes, sive eleemosynae, sive alia pietatis opera, ait enim Trid. sess. 14. can. 13., *pro peccatis Deo per Christum satisfieri poenis ab eo inflictis, vel a Sacerdote injunctis, atque etiam sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis pietatis operibus.* Etiam ergo orationes, eleemosynae, et alia pietatis opera poenis a Trid. accensentur, quibus proinde peccata vindicari possunt, quia, ut ait D. Th. *in suppl. q.* 15. *a.* 3., *licet habeant suavitatem spiritus, habent tamen afflictionem carnis.* Porro sub nomine *jejunii* intelliguntur quoque a TT. omnia, quibus caro domatur. Sub nomine *orationis* quaecumque Deum proxime respiciunt, ut sacrificium, laus, gratiarum actio, etc. Sub nomine demum *eleemosynae* quaecumque beneficia proximo exhibita, ut infirmis in publico Hospitali inservire; eos, qui in carcere sunt, visitare, eosque solari et verbis, et aliqua subventione; etc. Erit vero *medi-*

cinalis 1., si immediate, et directe sit carnis afflictiva, hujusmodi enim carnis afflictiones potissimum sunt, quae *magnopere a peccato revocant, et quasi fraeno quodam coercent, cautioresque, ac vigilantiores in futurum efficiunt*, ut jejunium saltem ordinarium, flagellationis saltem modicae usus, cilicii per aliquod saltem tempus, puta horam, vel semihoram gestatio, flexis genibus, brachiisque ad modum Crucis extensis orare per spatium determinatum ante Crucifixi imaginem, etc.. 2., si peccatis a poenitente detectis directe opponatur; ut enim ait D. Greg.: *contraria contrariis curantur*: utque postmodum ait Trid. sess. 14. c. 8.: *Vitiosi habitus male vivendo comparati contrariis virtutum actionibus tolluntur.* 3., ac praecipue quotidiana per aliquod tempus, per dimidium nempe, aut quadrantem horae, novissimorum meditatio.

284. Altera regula est, quod exceptis graviter decumbentibus, quibus injungenda est pro tunc levis tantum poenitentia, ut percussio pectoris, invocatio nominis Jesu saltem corde, vel aliud simile, ac, si possint, Sacrificia, vel eleemosynae, postquam vero convaluerint, opportunior alia; his, inquam, exceptis, injungenda est poenitentia juxta Trid. l. c. *pro criminum qualitate.* Idem tamen Trid. immediate addit: *Et poenitentium facultate*, idest spectata illorum infirmitate tum corporis, tum animi; nec non *salutares, et convenientes*, quales non sunt eae, quibus prae gravitate vix pares poenitentes esse videntur. Quid enim inde, nisi quod eas verisimiliter omittent, et in eorum perniciem vertentur? Hinc ibid.

Trid. subdit, quod injungenda est, *quantum spiritus, et prudentia suggesserit*; nec non *Divinam clementiam decere, ne nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur*: ubi notandum, ait Lig. n. 509., illud *absque ulla satisfactione*, non enim Deus omnimodam, sed aliqualem tantum satisfactionem ex sua clementia exposcit. Laudat proinde Gersonii verba: *Tutius est cum parva poenitentia, quae sponte suscipitur, et verosimiliter impletur, ducere confessos ad Purgatorium, quam cum magna non implenda praecipitare in Infernum.* Quod confirmat et D. Th., et D. Antonini auctoritate; concluditque n. 510.: Caeterum animadvertendum, quod non bene ageret Confessarius, si pro culpis mortalibus injungeret poenitentiam per se levem: licet enim, si expedierit, imponatur opus, quod respective ad peccata sit leve, semper tamen pro hujusmodi culpis injungenda est aliqua poenitentia gravis, quae gravem inducat obligationem.

285. Tertia regula est, quod ex Rit. Rom. *pro peccatis occultis, quantumvis gravibus*, Confessarius *manifestam poenitentiam non imponat*, tum quia per hoc indirecte revelaretur sigillum: tum quia ipsimet, qui antiquitus poenitentiae canonicae subjicebantur ob idololatriam, homicidium, et adulterium, eorumque species, quibus successu temporis ob morum depravationem alia etiam delicta subjecta fuere; ipsimet, inquam, illi non subjicebantur, cum peccata fuerant omnino secreta, sed tantum cum fuerant publica, idest vel aperte commissa, vel coram Judicibus probata, ut ostendit et illud D. Basilii: *Adulterio pol-*

lutas mulieres Patres nostri publicare noluerunt (can. 34.). Et illud Innoc.: *Non habent latentia peccata vindictam.* Bene tamen peccatori publico *condignam pro modo culpae poenitentiam publice injungi oportet*, ut ait Trid. sess. 24. c. 8. At quia subdit: *Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire*; hinc, ut refert Fagn. C. *Manifesta*, noluit S. C. declarare, an in foro Sacramentali pro publicis peccatis publicae poenitentiae essent necessario imponendae: utque addit Lig. n. 512., non debet Confessarius illam reluctanti imponere, cum aliter quoque scandalum reparari possit, per publicam nempe frequentationem Sacramentorum, visitationes Ecclesiarum, auditionem Missarum, ingressum in aliquam Congregationem, ubi pietatis opera exercentur, ec.

286. Cum autem Confessarius poenitentiam imposuerit, tenetur poenitens 1.° eam acceptare; 2.° eam vel designato tempore, vel hoc non designato, quam primum adimplere; 3.° sub gravi, vel sub levi, prout poenitentia gravis fuerit, vel levis: 1.m, quia quae Confessarius praeceperit, clave non errante, inviolate a poenitente observanda esse, manifeste patet ex Christi verbis: *Quaecumque alligaveritis super Terram, erunt ligata et in Coelo.* Ait proinde Ben. XIV. in Epist. Encycl. *Inter praeteritas* §. 65., *quemadmodum Confessarius justam tenetur injungere poenitentiam, ita poenitens tenetur illam acceptare.* Probabile tantum censet Lig. n. 516., quod si poenitenti videatur poenitentia imposita justo gravior, aut nimis onerosa respectu ad suam imbecillitatem, tunc si Confessarius

nollet eam moderari, posset saltem sine culpa gravi discedere absque absolutione, et alium Confessarium adire. 2.m, quia si Confessarius determinaverit tempus, quo poenitentia persolvi debeat, tunc quoque persolvenda est; licet facile excusari possit a mortali, qui illam differret, quia communiter Confessarii praeceptum cadit potius in rem exhibendam, quam in tempus. Quod si illud non determinaverit, mens ejus praesumitur esse, ut persolvatur primo tempore, quo commode persolvi possit, ex reg. 14. ff. de reg. juris: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur*; ubi pro *praesenti die* intelligitur primo quoque tempore. Eam proinde diu differre sine causa, communiter censetur mortale, maxime si poenitentia fuerit medicinalis, cum enim illam praeceperit ad praeservationem a relapsu, statim obligare debuit ad illam implendam. Si vero fuerit mere vindicativa, probabiliter Lig. n. 521. excusat a mortali, si dilatio sit ad mensem; putatque nimis rigidam sententiam Ronc., qui damnat de mortali 15. dierum dilationem; non reputatur enim gravis dilatio, quae non affert grave praejudicium rei praeceptae. 3.m, quia ut poenitentia obliget sub gravi, ipsamet gravis esse debet, nam ex una parte materia levis non est capax gravis obligationis; et ex altera, cum poenitentia sit pars tantum integralis Sacramenti, non videtur illius complementum tantum integrale per materiam levem aliter obligare, nisi leviter. Si vero poenitentia sit gravis, communior quidem sententia affirmat, graviter obligare, etiamsi fuerit imposita pro venialibus, aut mortalibus confessis, quia

gravitas, vel levitas obligationis illam implendi non sumitur ex gravitate causae, idest peccati confessi, sed ex materia praecepta, idest poenitentiae impositae. Satis tamen probabilis videtur Lig. n. 517. sententia negans, quia sicut Confessarius non tenebatur, immo nec poterat illam imponere sub gravi, ita nec poenitens ligari potuit ad illam implendam sub gravi. Hinc si peccata illa venialia valde disponerent poenitentem ad mortale, in hoc casu quidem sicut Confessarius posset poenitenti gravem pro illis injungere poenitentiam, ita et poenitens teneretur illam sub gravi adimplere. Sicut etiam valde probabile illi videtur n. 518., quod etiam pro culpis gravibus potest Confessarius imponere poenitentiam gravem sub levi obligatione: fungitur enim Sacerdos in hoc Sacramento et Judicis, et Legislatoris munere, cum ex potestate sibi tradita et solvat remittendo peccata, et liget imponendo poenitentiam. Legislator autem bene potest in materia gravi obligare tantum sub levi: ergo. Subdit tamen, non probare, si Confessarius ex hac doctrina vellet pro culpis gravibus totam poenitentiam imponere sub levi, ex praecepto enim Trid. semper tenetur Confessarius aliquid grave pro iis imponere sub obligatione gravi.

287. Sciendum demum est quoad poenitentiam, quod an implenda sit in statu gratiae, nec aliter valide impleatur, probabilior sententia ex eodem Lig. n. 522. id negat; tum quia ad implendum praeceptum sufficit ponere opus praecepti, licet praecepti finis non obtineatur; tum quia etsi poenitens non sit tunc in statu merendi, est tamen in statu, quo po-

test praecepto Confessarii satisfacere. Item tempore etiam Jubilaei, vel Indulgentiae plenariae non posse Confessarium absolutionem impertiri, nulla injuncta poenitentia, et evidens ratio suadet, quod integrare debet Sacramentum; et declaravit Ben. XIV. in cit. ep. Encycl. *Inter praeteritas* §. 65. Item, quod poenitens optans ex justa causa poenitentiam sibi injunctam commutari ab alio Confessario, vel ab eodem, qui nec confuse recordetur Confessionis praeteritae, non tenetur juxta sententiam satis probabilem ex Lig. n. 529. confessionem denuo repetere: 1.° quia in secunda confessione non agitur de judicio ferendo super culpis delatis in confessione praecedenti, in qua de iis latum jam fuit judicium, sed tantum de poenitentis impotentia ad poenitentiam implendam; quare locum non habet quod ex adverso opponitur, non posse nimirum Confessarium poenitentiam commutare, nisi in judicio Sacramentali. 2.° Quia Confessarius commutando poenitentiam in aequalem, vel minorem, bene potest medicinam praebere pro peccatis alias confessis; quare etiam negatur, id non posse, nisi culparum poenitentis notitiam habeat. Diximus autem *in secunda confessione*, quia nequit idem quoque Confessarius eam in aliam commutare extra confessionem, nisi forte id faceret statim post absolutionem, antequam poenitens discederet, quia tunc tantum videretur moraliter perseverare idem judicium. Sicut etiam non habens potestatem in reservata nequit in aliam mutare poenitentiam a Superiore impositam ob casus reservatos; nam licet inferior possit hic, et nunc novum de illis peccatis formare judicium, si

rursus ei deferantur, nullam tamen ipse habet facultatem mutandi sententiam Superioris in judicio prius ab eo lato, quia inferior nihil potest in lege Superioris. Poenitens demum oblitus poenitentiae injunctae, licet juxta quosdam teneatur confessionem repetere, ut aliam poenitentiam accipiat, quia curare debet, quantum commode potest, ut Sacramentum fiat integrum: aeque tamen probabiliter ex Lig. n. 520. ad id non tenetur, quia ex una parte non tenetur amplius ad poenitentiam injunctam, cum non amplius illam possit implere: ex altera vero quis dixerit extare hanc obligationem repetendi confessionem, ut integretur Sacramentum, cum illi peccata jam directe remissa fuerint? Solum igitur teneretur, si commode posset, Confessarium adire, et interrogare, an adhuc memor sit poenitentiae, quam injunxit.

Caput VII.

De satisfactione per Indulgentias: ubi etiam pauca de Jubilaeo.

288. Intelligitur per Indulgentiam *gratia, qua poena temporalis pro peccatis debita remittitur extra Sacramentum, et Sacrificium per applicationem meritorum Christi, et SS. ejus ab eo, qui potestatem habet dispensandi spiritualem Ecclesiae thesaurum.* Merita autem SS. reponuntur in thesauro Ecclesiae, non quidem, ut aliquid addant Christi meritis, quae sunt infinita, et praeter cujus nomen *aliud non est sub Coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos*

fieri (Act. 1.), sed ut denotetur communio SS. in Ecclesia: quo caeterum non obstante, nedum concurrunt per modum impetrationis, ut Christi merita per indulgentias nobis applicentur, sed etiam per modum solutionis; de fide enim est, B. V. nullum vel minimum habuisse peccatum, pro quo debuerit satisfacere; sicut etiam certissimum est, plures Electorum superabundantes pro peccatis suis satisfactiones dedisse. Quare S. Pius V. inter alias, quas in Bajo proscripsit, prop., 59. ajebat: *Per passiones SS. in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.* Cum tamen nemo eorum aliquid meruerit, nisi per Christum, cujus spiritu agebatur, tamquam vivum ejus membrum, hinc PP., qui adversari videntur, asserebant, solo Christi sanguine peccatorum debita exsolvi.

289. Distinguuntur autem Indulgentiae in partiales, et plenarias. Primae sunt, *quae unius, vel plurium annorum poenam remittunt, quantum poenae scilicet delevisset unius, vel plurium annorum poenitentia per canones imposita.* Plenariae vero, *quae delent omnem poenam temporalem peccatis debitam remissis quoad culpam*; per poenitentiam nempe, utpote sine qua ex dictis n. 254 impossibilis est cujusvis culpae remissio. Estque hoc in materia indulgentiarum semper prae oculis habendum: quod nempe donec peccator condonatus non fuerit per poenitentiam de peccato quoad culpam, nec etiam ullam lucrari poterit relaxationem poenae

illi debitae, idest indulgentiam: quia enim tandiu illius animus manet a Deo aversus juxta qualitatem culpae, semper quoque in tali statu poena respondens culpae illi debetur.

290. Potestatem vero in Ecclesia adesse concedendi Indulgentias, probatur ex illis Christi verbis ad Petrum Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Coelorum; et quodcumque solveris super Terram, erit solutum et in Coelis.* Et ad caeteros Apostolos Matth. 18. *Quaecumque solveritis super Terram, erunt soluta et in Coelis.* Cui accedit Traditio, ut Trid. declaravit *sess.* 25.; nec non ratio, ut enim disserit Clemens VI. in Extrav. *Unigenitus* etc.: *In ara Crucis innocens Dei Filius immolatus, non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, et superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit? Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum, ejusque successores, suos in Terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum. Ad cujus thesauri cumulum B. Dei Genitricis, et omnium Electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur.* Loquitur porro dumtaxat de Petro, ejusque successoribus, quia Episcopis detractum fuit in Conc. Later. IV. de ea potestate, propterea quod plerique ea abutebantur in detrimentum Ecclesiasticae disciplinae; qui proinde non possunt, nisi dierum tantum Indulgentias elargiri,

unius anni scilicet in Dedicatione Ecclesiae, et 40. dierum in anniversario ejusdem Dedicationis, et quandocumque ipsis libuerit ex causa aliqua legitima, ut habetur ex *C. Cum eo, de Poenit., et remiss.*

291. Nec credat quis, Indulgentiarum usum in Ecclesia aliud pro objecto non habere, nisi poenitentiae canonicae remissionem, quod enim per illas remittatur poena temporalis, quae pro peccatis remissis quoad culpam, et reatum poenae aeternae luenda esset hic, vel in altera vita, adeo certum est, ut Suar. *in 3. p. Disp.* 50. *sect.* 1. id de fide existimet; nec solum sequitur ex relatis Christi verbis, sed confirmatur 1.° ex Trid. *sess.* 25:, ubi anathemate perculit Pseudoreformatos, qui negabant Ecclesiae potestatem concedendi Indulgentias. Illi autem negabant, Ecclesiam posse per Indulgentias solvere a poenis temporalibus in futuro saeculo luendis, non enim negare poterant, quod possit solvere a poenis, quas ipsa Ecclesia praescripserit. 2.° ex Const. Xisti IV. *Licet ea*, qua proscripta fuit prop. Petri Oxomensis, quae ajebat: *Romanum Pontificem Purgatorii poenam remittere non posse.* 3.° Ex D. Th. *in 4. q. 1. a. 3.*, ubi: *Per privilegium Petro datum, ut quod in terra remitteret, et in Coelo remitteretur, remissio, quae fit quantum ad forum Ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei. Et ideo dicendum, quod Indulgentiae valent ad remissionem poenae residuae post contritionem, confessionem, et absolutionem.* 4.° quia si Indulgentiae non remitterent, nisi poenam canonicam, non vero poenam hic, vel in Purgatorio solvendam, dicendum esset, quod non prosunt, sed nocent; abs-

que Indulgentiis namque minueret poenitens per poenam canonicam diuturnitatem poenarum Purgatorii, quas propter Indulgentias ex integro illic luere deberet. Id autem quam absurdum?

292. Ex relatis etiam Christi verbis sequitur, potestatem concedendi Indulgentias extendendam quoque esse ad animas in Purgatorio detentas. Nec obstat, quod non sint super Terram; delicta enim, propter quae puniuntur, commissa sunt in Terra, ac ubi reus deliquit, ibi etiam sortitur forum; solumque ex eo quod non sint amplius super Terram, sequitur, quod Ecclesia largiri illis nequit Indulgentias per modum absolutionis, quia non amplius ejus clavibus subduntur, sed per modum suffragii, nulla est enim ratio, ut D. Th. disserit, cur Ecclesia non aeque offerat tam pro vivis, quam pro defunctis satisfactiones Christi, et SS.

293. Primum omnium tamen requiritur ad indulgentiarum valorem sive pro vivis, sive pro defunctis concessae fuerint, causa legitima, quae scilicet pia sit, et justa, et proportionata effectui, et qualitati Indulgentiae: 1.° quia Ecclesiae Ministri esse debent ex Ap. 1. ad Cor. 4. *dispensatores fideles*: 2.°, quia potestas Indulgentiarum data est Ecclesiae *in aedificationem*, *non in destructionem*; ac sine causa concessae, in destructionem, et grave Ecclesiae detrimentum vergerent: ut namque ait Innoc. III. in Conc. Lat. IV. c. 62., *per indiscretas*, *et superfluas Indulgentias et claves Ecclesiae contemnuntur*, *et poenitentialis satisfactio enervatur*. 3.° ex Clem. VI. in Extrav. *Uuigenitus*, ubi ait, *thesaurum Ecclesiae ea le-*

ge Petro, ejusque successoribus fuisse creditum, ut eum pro piis, et rationabilibus causis dispensent. 4.°, quia dispensatio sine causa in iis, quae sunt juris Divini, est irrita. Poena autem temporalis, quae dimissa culpa, superest luenda, jure Divino est expianda, ex dictis n. 282. Porro ad ipsas quoque concedendas Indulgentias pro defunctis non sufficit pro causa legitima utilitas illarum animarum, vel gloria; quae Deo redundaret ex animarum illarum liberatione, si enim alterutrum sufficeret, causa illas concedendi numquam deesset: sed requiritur causa aliqua particularis pertinens ad Dei honorem, vel Ecclesiae utilitatem, ita ut Summus Pontifex arbitretur, gratiorem Deo esse rem illam, cujus causa Indulgentia conceditur, quam executionem justitiae, quae in Purgatorio exercetur. Requiritur item ad Indulgentiarum valorem, sive etiam pro vivis, sive pro defunctis sint, status gratiae, saltem quando ultimum opus praescriptum impletur, ut docet Ben. XIV. Const. (*Inter praeteritos* §. 3. *et sequ.*), quum nempe Indulgentia est pro vivis, ex ratione allata n. 286.; quum vero est pro defunctis, tum quia nemo, ut ait Lig. n. 534., potest alteri applicare Indulgentiam, nisi prius eam fecerit suam; tum quia peccator non est idoneus, ut Christi satisfactiones Deo in aliorum gratiam offerat. Nec valet paritas Sacrificii, quod defunctis prodest, etsi per malum Sacerdotem oblatum, quia in Sacrificio occurrit victima per seipsam intercedens, quod non est in Indulgentiis. Immo etsi quis sit in statu gratiae, declaravit tamen Ben. XIV. *in laud. Const.*, necessariam esse Confessionem actualem, et Sacramentalem Com-

munionem ad consequendam Indulgentiam, quae concessa fuerit confessis, et Sacra Communione refectis. Habetur tamen, et quod declaravit S. C., Confessionem posse etiam expleri in vigilia Festivitatis; et quod indulsere Summi Pontifices Monialibus, iisque, qui singulis hebdomadis solent constanter confiteri, ut absolutio infra octiduum accepta valeat ad Indulgentias plenarias mox lucrandas.

294. An vero requiratur insuper ad Indulgentiarum valorem, quae sint pro vivis, ut qui illas consequi vult, curet facere pro viribus fructus dignos poenitentiae, disputant DD.. Affirmant enim *D. Antonin.*, *Adrian. VI.*, et *Cajet.* ante Trid., *Soto*, *et Hesselius*, qui Trid. interfuerunt, et post Trid. *Nav.*, *Estius*, *Sylvius*, et alii recentiores non pauci, docentes, Indulgentias esse supplementum humanae infirmatis, non fomentum inertiae, nec proinde prodesse, nisi iis, qui curant facere fructus dignos Poenitentiae, alioquin enervaretur disciplina Ecclesiae, utque ait Xistus IV. in Extrav. *Quemadmodum*, fideles procliviores ad peccandum redderentur. Qua super se addit *Cajet.*, quod sicut in bene ordinata Republica cives alieno aere gravati, negligentes tamen solvere, indigni censerentur adjutorio communis thesauri, ita et fideles negligentes facere fructus dignos poenitentiae thesauro Ecclesiae. Nec propterea, subdit idem *Cajet.*, adimitur aliquid efficaciae Indulgentiarum, sicut nihil adimitur efficaciae Sacramentorum ex hoc, quod oportet accedentes esse dispositos. *Bellarm.* tamen, *Suar.*, aliique stant pro opposita sententia, quia, inquiunt, Ecclesia concedendo Indul-

gentias, thesaurum suum aperit, ut pro poenitentibus ex satisfactionibus Christi solvat. Quando autem quis pro debitore solutionem offert, jus non habet creditor exigendi ab eo, ut ex proprio aere solvat: ergo. In qua sententia videtur quoque fuisse D. Th., ait enim *in suppl. p.* 25. *a.* 1. *ad* 3., *quod qui Indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter a debito poenae, sed datur sibi, unde debitum solvat*, idest non gratis ei remittitur poena debita, non enim eam ex propriis solvit, sed Ecclesia per applicationem satisfactionum Christi pro illo solvit.

295. Ad valorem autem Indulgentiarum, quae sint pro defunctis, docet laud. *Cajet.*, quod praeter opera viventibus injuncta debito modo impleta, requiritur etiam ex parte animae sublevandae, ut studuerit, dum in Terris ageret, pro peccatis suis satisfacere, et juvare mortuos suis suffragiis; probatque ex D. Aug. *l. de cura pro mortuis c.* 1. ubi: *Genere vitae, quod gessit quisque per corpus, efficitur, ut prosint, vel non prosint quaecumque pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus.* Ob rationem tamen supra allatam negatur id ab aliis DD.

296. Hae igitur conditiones requisitae ad valorem Indulgentiarum, sive pro vivis, sive pro defunctis sint. Quibus positis, estne certum, si adsint omnes conditiones requisitae, quod anima, ad quam extenditur Indulgentia plenaria, statim a Purgatorio liberetur? Plures quidem affirmant; sed plures negant; utque ait *Bellarm.*, quaestio haec est omnium difficillima: dubitare enim non licet, quod Indulgentiae, nedum vivis, sed etiam defunctis prosint; aliud ta-

men non constat. Et sane cum Indulgentias pro defunctis applicamus, Deum oramus, ut illas pro iis acceptet, non enim illis prosunt per modum absolutionis, sed per modum suffragii. An autem Deus nos pro illis exaudiat, infallibiliter non constat. Quod ex ipsius Ecclesiae praxi confirmari potest, quae post applicatam alicui defuncto plenariam Indulgentiam, per Sacrificium ex. gr. in Altari privilegiato pro ipso oblatum, pro eodem nihilominus orare, et sacrificare non desinit: quo tacite declarare videtur, Indulgentias, quamvis maxime salutares, non tamen semper infallibilem effectum pro defunctis habere, earumque effectum pendere ex Dei misericordia.

297. Advertendum demum est circa Indulgentias, 1.° quod cum in Bulla concessionis requiritur intentio, ut oretur pro concordia Principum, haereseon extirpatione, etc., requiritur, ut minimum, quod oratio fiat secundum intentionem Ecclesiae. 2.° quod ad lucrandas Indulgentias in visitatione Altarium, cum haec esse debeat sensibilis, aliquam ad ipsa requirit corporis, vel capitis conversionem. 3.° illum, cui a Sede Apost. facta est potestas distribuendi Indulgentias annexas Rosariis, Numismatibus, etc., per solam voluntatem id praestare posse, quamquam usus sit recitare brevem orationem, et rem benedicere.

298. Satis demum sit dicere de Jubilaeo relate ad Sacramentum, de quo agimus, 1.° quod Jubilaei Anni Sancti tempore manent suspensae facultates Regularium absolvendi a casibus quibuscumque Sedi Apostolicae reservatis, et vota commutandi. 2.° quod etiam tali tempore subsistit inhabilitas eodem modo,

et sub iisdem poenis absolvendi complicem. 3.° ejus facultatibus non esse locum, nisi cum eo, qui et ad consequendum Jubilaeum se disposuerit, et certum habeat propositum adimplendi opera injuncta. 4.° Confessarios tantum in foro Sacramentali, et Ecclesiis designatis posse absolvere, et vota commutare. 5.° tantum prima vice posse aliquem his facultatibus gaudere. Quae omnia sancita fuere a Ben. XIV. Const. *Inter praeteritos*. Docet quoque hac super re Lig. n. 537., opera injuncta adimpleri debere in una hebdomada et ex praxi, et ex verbis solitis apponi in Indulto talis temporis: nec qui fecerit Confessionem sive voluntarie, sive involuntarie nullam remanere absolutum a reservatis; 1.m, tum quia *fraus nulli favere debet*, tum quia facultates omnes conceduntur ad effectum consequendi Jubilaeum; quod cum revera consequi nolit qui sacrilege confitetur, neque etiam potest illis facultatibus gaudere. Alterum tum ex modo allata ratione, quod omnes nempe facultates conceduntur ad effectum consequendi Jubilaeum, quibus proinde non gaudet, qui illud non consequitur; tum quia declarsvit Ben. XIV., ut supra diximus, locum non habere Jubilaei facultates pro eo, qui se non disposuerit ad illud consequendum. Postquam tamen fuerit absolutus, si mutata voluntate non adimpleat opera injuncta, nec graviter peccare juxta communiorem, nec, ut definitum habetur ab eodem Ben. XIV. in laud. Const. §. 86., in reservationem, vel censuras reincidere, docet ibidem Lig.

299. Quia autem vi Jubilaei qui nihil praetermisit ad illud lucrandum jus acquisivit ad favores Pontifi-

cis, docet idcirco idem Lig., quod si oblitus fuerit confiteri peccata reservata, vel ex justa causa illa omiserit, potest saltem probabilius a quocumque Confessario ab iis absolvi: nec solum si Confessarius habuerit expressam intentionem absolvendi etiam a reservatis, in quo casu id omnes affirmant, sed etiam si hanc non habuerit; ob rationem quoque, quia bene praesumitur, primum Confessarium voluisse per suam absolutionem conferre poenitenti omne beneficium, quod poterat, unde sicut indirecte absolvuntur peccata oblita, ita indirecte tollitur reservatio: praesertim quia ex illis verbis formae absolutionis *quantum possum, et tu indiges* luculenter exprimitur tum voluntas absolventis, tum amplitudo absolutionis. Ob eamdem rationem, quamvis coeperit dumtaxat Confessionem intra Jubilaeum, potest nihilominus deinde absolvi ab omnibus reservatis: sicut etiam qui confessus fuerit tempore Jubilaei cum intentione illud lucrandi, etsi postea illud non lucretur, eo quod non implet opera requisita, censet probabilius Lig., quod possit ab oblitis absolvi a quocumque Confessario, etsi reservatis, non enim reservatio aufertur dependenter ab eventu futuro, sed absolute; ex quo sequitur, quod cum jam ablata fuerit reservatio, poenitens non reincidit in eam, si opera non compleat. Probabile etiam censet, posse a reservatis absolvi qui peccatum commiserit spe obtinendi absolutionem vi Jubilaei, quia facultas generaliter concessa non est limitanda. Advertendum demum quod expressum habetur in Const. Ben. XIV., cujus initium *Convocatis*, quod *ab occultis censuris ob partem laesam in-*

cursis Confessarii *non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit; vel si prius poenitens nequeat, non prius absolvant, nisi juret, se satisfacturum cum primum poterit.* Quod si animum satisfaciendi habuerit, et postea non satisfaciat, censet probabilius Lig., quod in censuras non reincidit, quia ex *C. Ad reprimendam de Offic. Ordin.* reincidentia non incurritur, nisi in jure exprimatur. Item absolvi posse poenitentes *a censuris jure latis etiam Sedi Apostolicae reservatis, quamvis publicae in partibus sint, et quamvis deductae, aut nominatim declaratae, ac denunciatae in iisdem partibus sint per locorum Ordinarios, aut alios Judices.* Sicut etiam additur: *A censura ab homine, seu a quocumque Judice de partibus nominatim lata absolvere valeant ad effectum dumtaxat Indulgentias praesentis Jubilaei consequendi ec.* De cujus censurae absolutione prohibetur tamen ibidem dari a Confessario ullum testimonium. Quoad irregularitates vero indulsit, *dispensari posse super occulta irregularitate ob violationem censurarum dumtaxat.* Quae omnia ap. Lig. n. 537.

Caput VIII.

De adjunctis Sacramento Poenitentiae. Et 1.° de jurisdictione Confessarii.

300. *Quoniam natura, et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse, Synodus haec confirmat, nullius momenti absolu-*

tionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Ita hac super re Trid. *sess.* 14. *C.* 7. Ordinaria porro est, *quae oritur ex officio, cui adnexa sit animarum cura*: eaque cum magis afficiat personas loci, quam locum, hinc qui eam habeant possunt subditos suos ubique locorum absolvere. Hujusmodi autem est quam habet Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus in sua Dioecesi, Parochus in sua Parochia, et Praelati Regularium in suos subditos juxta cujusvis Ordinis Constitutiones, ut colligitur ex *C. Abbates de priv. in* 6., et Clementina I. *de reb. Eccl. non al.*, et ex Const. *Romanus* S. Pii V., ubi ita PP. Ord. Praed., quo privilegio gaudent quoque per communicationem caeteri Regulares: *Eisdem Priori Conventuali, et Superioribus Praelatis, ut ipsi per se ipsos idem omnino possint in Fratres, et Moniales dicti Ordinis sibi subditas, quod possunt Episcopi in Laicos, et Clericos sibi subjectos, tam quoad absolvendi, et dispensandi hujusmodi potestatem ec.* In quo tamen derogatum inde fuisse quoad confessiones Monialium sibi subjectarum, diximus l. 1. n. 142., et l. 3. n. 28. Diximus quoque supra *juxta cujusvis Ordinis Constitutiones*, Confessariorum enim deputatio inter Regulares fit vel a Provinciali, vel a Conventus Praelato juxta cujusvis Instituti Regulas. In quem, addimus, 1.° deputare posse quemcumque Sacerdotem etiam Saecularem non approbatum ab Episcopo, cum hic nec det, nec dare possit facultatem audiendi Confessiones Regularium, sed eorum Praelatus. 2.° nedum in ipsis Conventibus, sed etiam extra illos, et ubi-

cumque. 3.° quod cum Regulares sunt in itinere, si habeant socium sui Ordinis, qui sit in suo Conventu Confessarius, huic confiteri debent; immo, etiamsi non sit Confessarius, modo sit idoneus, atque haec sit praxis in suo Conventu: si vero hunc socium non habeant, confiteri possunt cuivis Confessario approbato, tum ex priv., quo omnes Regulares gaudent, tum quia permissioni itinerandi implicite adjungitur permissio cuivis Confessario confitendi: immo ex communissima, et veriori sententia, ut eam vocat Lig. n. 575., etiam cuivis Sacerdoti idoneo Saeculari, vel Regulari, quamvis non approbato: Trid. enim requirit Confessarium approbatum ab Episcopo ad Confessiones tantum Saecularium, non vero Regularium: quodque opponitur ex adverso ex Brevi Ben. XIV. *Quod communi*, sancitum fuit tantum pro Capuccinis, ac perperam affertur tamquam commune omnibus Regularibus. Delegata vero dicitur, *quae alicui ab habente ordinariam legitime committitur*. Diximus *legitime*; ut enim deleget Ordinarius requiritur 1.°, ut delegare non prohibeatur sive a *jure*, sive *a consuetudine*. Hinc licet Parochi habeant in suos subditos jurisdictionem ordinariam, et juxta vulgare effatum quivis habens jurisdictionem ordinariam possit eam delegare; quia tamen nonnumquam delegabant non sine animarum pernicie vagos, flagitiosos, atque incapaces Sacerdotes, abstulit iis Trid. omnem facultatem delegandi. Hinc neque etiam excommunicatus vitandus potest jurisdictionem conferre, quia vetitum a jure. Cum autem Sacerdos nec ordinariam, nec delegatam habet jurisdictionem, nullius

quoque momenti dicenda est absolutio, quam proferat in habentem tantum venialia, cum aeque pro mortalibus, ac pro venialibus locum habeat ratio Trid., quod *natura, et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur.* Hinc Innoc. XI. peculiari Decr. sub die 12. Febr. 1679., postquam dixisset: *Ne permittant* Episcopi, *ut venialium Confessio fiat Sacerdoti non approbato*, subdit: *Si quicumque Sacerdotes secus egerint, sciant Deo se rationem esse reddituros.*

301. Ut tamen omnes casus comprehendamus, jurisdictionem praebet ad Sacramentum Poenitentiae necessariam 1.° approbatio Episcopi, vel habentis jurisdictionem quasi Episcopalem. 2.° officium Parochiale. 3.° necessitas extrema. 4.° error communis; de quibus singillatim agendum.

302. *Approbatio Episcopi, vel habentis jurisdictionem quasi Episcopalem*, ut Vicarii Capitularis, Abbatis cum jurisdictione Episcopali, Praelati nullius etc.; sine qua *nullum etiam Regularem posse confessiones saecularium, etiam Sacerdotum audire, privilegiis, et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus*, decrevit Trid. sess. 23. de ref. c. 15.: circa quod sciendum 1.° quod approbatio hujusmodi, quemadmodum hodie, ut scribit Lig. n. 548., omnino est tenendum, habenda est, non quidem ab Ordinario poenitentis, sed loci, ubi Confessiones excipiuntur: quod constat et ex Bulla Innoc. XII. *Cum sicut*, ubi: *Confessarios tam Saeculares, quam Regulares, quicumque illi sint, in vim Bullae Cruciatae nullatenus posse audire poenitentes sine approbatione*

Episcopi loci, in quo ipsi poenitentes degunt. Neque ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum Dioecesum obtentam, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum, qui tales Confessarios approbassent, subditi sint. Declarans deinde Pontifex, secus confessiones fore invalidas, et Confessarios suspensos etc., *reprobata, tamquam falsa, et temeraria quacumque contraria opinione.* Quod si adhuc, ut Lig. disserit, cum privilegio Bullae Cruciatae requiritur approbatio ab Episcopo loci, quanto magis sine istiusmodi privilegio? Idque, ut nullus prorsus dubitationi fuisset locus, confirmatum subinde fuit a Ben. XIV. Bulla, quae incipit *Apostolica.* Praeter suspensionem autem, quae ipso facto incurritur a Sacerdotibus praesumentibus vi Bullae Cruciatae Confessiones audire absque approbatione Ordinarii illius loci, inflicta et fuit excommunicatio ipso facto in quemcumque contrarium vel docuisset, vel defendisset, vel egisset (*Pav. Luce etc. n.* 4.). 2.°, quod, ut sanxit S. Pius V. Const. *Romani*, possunt Regulares approbati ab Episcopo antecessore *iterum examinari a Successore, et si minus idonei reperti fuerint, reprobari*: fuitque ab Alex. VII., ut refert *Cabass. T.* 9. *l.* 1. *c.* 10. §. 13., diris tradita, tamquam temeraria, et erronea, prop.: *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, nec ulla ex parte revocare.* 3.° quod si Episcopus approbationem prius datam revocet, etsi id faciat injuste, scribit tamen Lig. n. 551., opinionem Lugonis, quod revocatio est nulla, *vix in praxi probabilem censeo, quia in-*

justitia revocationis deberet esse luce clarior, et abesse quodcumque hallucinationis periculum; quod vix accidere potest, cum innumerae possint esse causae justae apud Episcopum revocandi approbationem, quae ignorentur a Confessario. 4.° quod nec voluntas interpretativa Episcopi, ut ex. gr., *si peterem ab Episcopo audiendi Confessiones facultatem, illam certo obtinerem*; nec ejus ratihabitio, ut ex. gr., *si Confessiones audiendas suscipiam, id cum Episcopus rescierit, procul dubio ratum habebit*, sufficiunt, ut quis se habeat ad Confessiones approbatum, cum utraque nihil aliud importet, nisi dispositionem Episcopi ad jurisdictionem impertiendam, si illi peteretur. Sat autem non est, quod Episcopus sit dispositus ad illam impertiendam, sed requiritur insuper, ut actu, et de facto illam impertierit, alias namque Confessiones in veritate absque jurisdictione audirentur. 5.° quod Vicarius Generalis Episcopi ex communiori, et veriori sententia, ut eam vocat Lig. n. 558., habet jurisdictionem ordinariam in foro Sacramentali, vi cujus potest et Confessiones audire, et aliis audiendi potestatem concedere: tum quia, supposita nominatione Episcopi, jurisdictionem habet ordinariam tam in civilibus, quam in spiritualibus, non ab Episcopo, sed a jure, utpote faciens unum cum Episcopo tribunal, ut habetur *c. 2. de consuet. in* 6., *et c. Romana de Appell. in* 6.: tum quia Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de Ref.*, cum voluit Vicarium excludere a facultate absolvendi ab haeresi, id expressit, dicens: *Eis tantum* (idest Episcopis), *non eorum Vicariis sit permissum*: quibus verbis implicite ait, facultates E-

piscopi, nisi expresse a jure restringantur, intelligi communicatas etiam Vicariis. Nonnisi tamen facultatem Confessiones audiendi impertire potest Vicarius Generalis, non vero casus ab Episcopo reservatos, a quibus nec ipse potest absolvere: est enim eorum reservatio lex ab ipso Episcopo edita; notumque est, quod *inferior nequit dispensare in lege Superioris.* Quemadmodum nec aliis concedere potest, nec ipsemet habet facultatem absolvendi a casibus, qui dicuntur *Nobis*, de quibus diximus l. 1. n. 129., vel iis, in quos facultatem habet Episcopus ex *c. Liceat*, vel absolvendi impeditos Romam adire, vel dispensandi in impedimentis matrimonii urgente necessitate, ob rationem allatam l. 1. n. 120., ob quam nec etiam habet, vel impertire potest facultatem dispensandi, vel commutandi vota: quae tamen omnia, ut ibidem diximus, potest Episcopus illi delegare cum facultate subdelegandi, ut etiam fert praxis (*Pav. Luce etc.* §. 305, *et* 306.).

303. *Officium Parochiale*, ait enim Trid. *sess.* 23 *de ref. c.* 15.: *Nullum posse Confessiones audire, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat.* Et quidem suorum subditorum potest Parochus confessiones audire ex ratione allata n. 297. in aliena etiam Parochia, ac Dioecesi: sibi vero non subditorum tantum in sua Parochia; ex Decl. enim S. C. 1707., ad quaesitum: *An Curati unius Dioecesis vocati a Parochis alienae Dioecesis possint in ista audire Confessiones absque licentia Episcopi?* S. C. respondit: *Affirmative quoad subditos, negative quoad alios.* Et ex alia Decl. ad quaesitum: *An provisus de Parochiali per*

concursum censendus sit approbatus ad audiendas confessiones in illa Dioecesi, in qua illam Parochialem obtinet? S. C. respondit: *Censeri ad audiendas Confessiones dumtaxat in ea civitate, vel oppido, ubi sita sit Parochialis, non autem passim per totam Dioecesim.* Et ratio est, quia Parochus non approbatur, nisi tantum pro Parochia, ad quam eligitur. Admittit tantum Ben. XIV. *Not.* 86. *n.* 13., quod ubi adesset consuetudo, non tamen recens invecta, nec in una tantum Parochia, sed in tota Dioecesi, eaque antiqua, et in praxi, quod Parochus vocatus ab alio Parocho ejusdem Dioecesis possit in ejus Parochia confessiones audire, ipsa consuetudo necessariam illi jurisdictionem conferret. Atque ita etiam Lig. n. 544., et Pav. *Luce ecc. n.* 39. Qua super re advertendum quoque, ipsum officium Parochiale non obstare ex pluribus Decr. S. C. ap. Ben. XIV. *Not.* 9. *n.* 16., quin Episcopus de novo assumptus ad Episcopatum possit ex justa causa examinare, quemadmodum quoscumque Confessarios, ita ipsos quoque Parochos, etiam Regulares.

304. *Necessitas extrema*, quia nempe poenitens est in mortis articulo, vel periculo, idest certo, vel probabiliter de brevi moriturus; idem enim valere tam pro articulo, quam pro periculo mortis, probat Lig. n. 561. et ex c. *Si quis suadente* 29. *caus.* 17. *qu.* 4. ubi: Nullus Episcoporum *illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo*: et ex Rit. Rom., *de Sacr. Poen.*, ubi. *Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque censuris, et peccatis absolvere:*

et ex eo quod quisque existens in mortali eodem modo in tali periculo tenetur confiteri, ac si in articulo esset. Tale autem periculum, ut subdit, censetur adesse in praelio, in longa navigatione, in difficili partu, in morbo periculoso, et similibus, quod et Salm. inquiunt de eo, qui est in probabili periculo incidendi in amentiam; ac de captivis apud Infideles cum exigua libertatis spe, si credantur nullos alios Sacerdotes habituri. In mortis itaque tam articulo, quam periculo, *ne hac occasione* (ait Trid. sess. 14. c. 7.) *aliquis pereat, custoditum semper in Ecclesia Dei fuit, ut omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis absolvere possunt.* Hinc, si desit Sacerdos approbatus, simplex Sacerdos nulla innodatus censura; atque hoc absente, etiam Sacerdos tantum suspensus, vel irregularis; etiamque hoc absente, Sacerdos quoque excommunicatus toleratus; quo deficiente, Sacerdos quoque haereticus, et excommuuicatus vitandus, potest absque ulla facultatis restrictione constitutum in mortis articulo, vel periculo absolvere; et quidem, praefata gradatione servata, et valide, et licite; neglecta, valide profecto, sed illicite. Quod invicte probatur ex relatis Trid. verbis: *Ne hac occasione aliquis pereat*; ex quibus, ut disserit Lig. n. 560., satis eruitur intentio Ecclesiae, quod in casu necessitatis bene possit etiam vitandus moribundum absolvere, secus namque ob difficultatem contritionis perire posset. Declaratio autem S. C., quod id nequeat *vitandus*, non reperitur, ut subdit, in ejusd. S. C. Registro, ex quo colligitur, quod vel foras non exierit, vel quod abierit in de-

suetudinem, tamquam communi sententiae opposita. De quo demum ne prorsus dubitetur, accedit auctoritas Innoc. XI., ad quem cum delata fuisset quaestio, an *vitandus* in casu proposito possit moribundum absolvere, praecepit Pontifex, non amplius vocari in dubium, quod possit.

305. Diximus tamen, *si desit Sacerdos approbatus*, nequit enim simplex Sacerdos, etsi nulla innodatus censura, moribundum absolvere, praesente approbato. Quod cum Lig. n. 562. probatur, quia sensus verborum Trid. *Omnes Sacerdotes ec.* colligendus est ex verbis paullo ante praecedentibus: *Ne hac occasione aliquis pereat*; ut enim dicitur c. in his 15. de verb. sign.: *Non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire*; utque habet ult. juris reg. in 6.: *In legem committit, qui verba legis complexus, contra legis nititur voluntatem.* Locum autem non habet ratio Trid. *ne hac occasione etc.*, dum adsit Sacerdos approbatus: ergo. 2. cum dixerit Conc., id *custoditum semper in Ecclesia fuisse*, ostendit his verbis, non costituisse jus novum, sed antiquam, quae in Ecclesia aderat, consuetudinem approbasse. Haec autem erat, quod simplex Sacerdos in extrema necessitate absolveret, absente copia Confessarii, ut colligitur ex *c. Presbyteris* 26. *qu.* 6., *ex c. Inter cunctas ff. Incendiarii de Priv.*, aliisque textibus: ergo . . 3.° ex Rit. Rom. verbis relatis n. ant.: *Sed si periculum etc.* Excipitur ex eodem num. sequ., si approbatus nollet, vel non posset audire Confessionem, tunc enim haberi posset, ac si deesset. 2.° si

approbatus superveniat incoepta jam Confessione cum Sacerdote simplici, quia tunc compleri debet judicium jam incoeptum. 3.° si approbatús sit inimicus, consanguineus, aut objectum peccati, vel poenitens dubitet, quod aliquod ejus peccatum sit revelaturus, vel illum inhabilem putet respectu sui ipsius, vel ita horreret illi confiteri, ut esset in periculo confitendi sacrilege, etc., tum quia ex verbis Trid. *ne hac occasione aliquis pereat* videtur id valde consonum benignitati Ecclesiae; tum ex Decl. S. C. ap. Pignatelli *Tom.* 10. *Consult.* 163. *n.* 15., quod moribundus nequit Sacerdoti non approbato confiteri, praesente Parocho, modo *nulla subsit causa Parochum ipsum recusandi.*

306. *Error communis*, ob quem nempe, non a paucis, sed ab omnibus, vel fere omnibus, qui degunt in loco, ubi quis Confessiones audit, tamquam Confessarius reputetur, cum quibus idcirco etiam poenitens bona fide illum reputet pro legitimo Poenitentiae Ministro. Hic autem error communis potest esse *vel simul cum titulo colorato*, idest titulo, qui pro vero, et legitimo publice habeatur; ut quum quis Parochi functiones exercet, licet revera Parochus non sit ob latentem simoniam, qua acquisivit Parochiam; vel quum alter Confessiones audit ex approbatione habita, sed cujus tempus desierit, etc.: *vel absque hujusmodi titulo.* Si 1.^{m}, certum apud omnes est, quod Ecclesia jurisdictionis defectum supplet ob bonum animarum. Hinc valet absolutio data et a Parocho mox relato; et a Confessario, cujus approbatio, ipso, vel paucis tantum scientibus, desierit, vel

fuerit revocata; utque recens Auctor resolvit, ab eodem quoque complici in peccato turpi collata, si poenitens in bona fide illi confessus fuerit (*Pav. Luce etc. n.* 55.). Si alterum, negat quidem communior sententia, ab Ecclesia jurisdictionem suppleri: adhuc tamen esse probabilem sententiam oppositam, docet Lig. n. 572.; ideoque probabiliter non esse obligandos fideles ad repetendas confessiones bona fide factas penes Sacerdotem, qui ex errore communi, tamquam Confessarius reputabatur, quia eadem adaequata ratio boni communis valet pro errore communi cum, et absque titulo colorato, nec ulla est ratio specialis, cur magis provideatur bono publico, cum adest error communis simul cum titulo colorato, quam cum absque ejusmodi titulo.

307. Declarandum modo est, quandonam cesset delegatio ad Confessiones audiendas. Circa quod distinguendum, quod nempe si delegatio fuerit in particulari, ad audiendam scilicet alicujus tantum Confessionem, cessat morte delegantis, si res sit adhuc integra, idest Confessio nondum incoepta fuerit: secus, si res non amplius sit integra, idest poenitens inchoaverit Confessionem, ut enim disserit Brencola, *ex eo quia coeptum est negotium Confessionis, radicem in delegato fixit jurisdictio, ut jura loquuntur* (*Miscel. Res. c.* 1. *n.* 38.); estque haec, ut addit Lugo, *doctrina communis TT., et Juristarum* (*Resp. Mor. dub.* 25.). Ex quo principio etiam resolvitur, quod si quis obtinuerit facultatem audiendi Confessiones per aliquot dies, his elapsis, potest nihilominus absolvere, idque etiam in alia Dioecesi, eos omnes,

quorum peccata audierit, sed quia tunc temporis indispositos, non potuit absolvere. Si vero delegatio fuerit generalis, subdistinguendum: quod nempe si Ordinarius illam concessit *in perpetuum*, vel ad determinatum tempus, ut ex. gr. *ad annum*, *ad sex menses*, non cessat morte delegantis, donec vel a Successore revocetur, vel praefixum tempus labatur. Si vero concessa fuerit sub clausula *ad nostrum beneplacitum*, cessat morte delegantis, ex *C. Si gratiose de Rescriptis in 6.*, ubi in casu simili dicitur: *Per ejus obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat.* Clausulae autem *de consensu Parochorum*, sicut etiam *ne ante Solis Ortum, vel post Solis Occasum mulierum Confessiones excipias*, quae alicubi inseruntur in Pagellis Confessariorum, sunt quidem praeceptivae, non tamen habent vim conditionis, *sine qua non*; quibus proinde neglectis, peccatur quidem a Confessario, Confessiones tamen sunt validae (*Pav. Luce etc. n.* 37.). Secus clausulae: *Ut in Ecclesia tui Ordinis, ubi degis de familia, audire possis Confessiones*; sicut et: *Ut in Ecclesia tui Ordinis, non vero in domibus privatis, nisi infirmorum dumtaxat Confessiones etc.*; quae accipiendae sunt *taxative*, non vero, ut perperam aliquis scripsit, *demonstrative*, seu *exemplificative*: sanxit namque Ben. XIV. Const. *Apostolica* etc.: *Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi Confessiones limitatam quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus personarum, non posse Poenitentiae Sacramentum administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis praescriptum.*

308. Hic quoque loci advertendum demum est, quod ex duabus Const. Ben. XIV. *Sacramentum*, et *Apostolici muneris* sublata fuit Confessariis omnis jurisdictio ad absolvendum complicem in peccato turpi contra 6. praec.; quodque si aliquis ex iis id audeat, excomm. Papalem ipso facto incurrat, nisi id faciat in casu dumtaxat extremae necessitatis, articuli scilicet mortis, in quo illi permittitur absolvere complicem, modo desit quicumque alius, etiam simplex Sacerdos, praeterquam si hic nequeat vocari, vel accedere sine gravi infamia, aut scandalo. Tenetur tamen Confessarius complex, ut idem Pontifex jubet, talia pericula infamiae, aut scandali avertere, si potest, sub eadem poena excomm. ipso facto. Qua super re advertendum. 1.°, quod sub nomine peccati turpis intelligitur quodvis peccatum externum grave contra 6. praeceptum, sive cum mari, sive cum foemina, tametsi solius tactus, vel colloquii, *ut certe dicendum est* (ait Lig. n. 554.), *paucis immerito id negantibus*. 2.° quod sancita a Ben. nec comprehendunt peccata mortalia alterius generis, in quibus poenitens fuerit complex cum Confessario, cum expresse dicatur *personae complicis in peccato turpi contra sextum Decalogi praeceptum*, nec peccata inhonestatis venialia sive ex parvitate materiae, sive ex defectu advertentiae, vel consensus, quia venialia non sunt de necessitate Confessionis: quod et dicendum ex Lig. l. c. et de mortalibus mere internis, vel non plene exterius consummatis, et de mortalibus dubiis, ex dicendis c. sequ.; et demum, ut recens Auct. docet (*Pav. Luce etc. n.* 60.), si alteruter, Confessarius nempe, vel

poenitens, mortaliter peccaverit, sed non mortaliter uterque, quia complicitas exigit, ut utraque pars mortaliter peccaverit. 3.° quod in excommunicationem incidit Confessarius, si absolvat, non vero si Confessionem tantum audiat personae complicis: ex tenore enim verborum Pontificis, quod absolutio personae complicis *nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus. Et nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis poenam etc.*, quis non videt, quod illud *secus facere* idem est ac *absolvere*, utpote quod immediate antea vetitum fuerat? Quod et confirmat Lig. n. 556., ex aliis Ben. verbis in Const. *Inter praeteritas*, ubi ejusdem excomm. meminit, aitque, *non minus Sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum Confessionem excipit poenitentis, eumque absolvit, vel qui in articulo mortis absolvit, cum alius Sacerdos non desit, excommunicationis poena a nobis in citatis Const. imposita fuit.* 4.° quod si poenitens valide fuerit absolutus a peccato turpi, in quo fuit complex cum Confessario, pergatque in posterum se confiteri apud eumdem Confessarium de aliis peccatis, non ideo absolutio erit irrita, quia non amplius haec confertur a peccato, in quo Confessarius fuerit complex cum poenitente, ac solum Pontifex illi abstulit facultatem *ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam. . ad hunc effectum . . in hoc casu.* Immo si Confessarius dum esset puer delinquerit contra 6. praec. cum

alia, dum esset puella, atque haec de hujusmodi peccato valide absoluta fuerit, potest nihilominus cum Confessario complice generaliter confiteri, ac denuo de illo absolvi, quia, ut recens Auctor disserit, Pontificis prohibitio afficit peccatum, quod sit materia necessaria, non vero tantum sufficiens Sacramenti, cujusmodi est peccatum semel valide absolutum (*Pav. Luce etc. p.* 58.).

Caput IX.

De casuum reservatione.

309. Definitur haec *restrictio, seu negatio jurisdictionis circa peccatum aliquod.* Ut enim ait Trid. sess. 14. c. 7., *magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam, et graviora crimina, non a quibusvis, sed a Summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur.* Ex tradita autem definitione, ac relatis Trid. verbis duo sequuntur in primis maxime advertenda: 1.° quod cum restrictio jurisdictionis fieri non possit, nisi quibus jurisdictio impertitur, idest ad Confessiones approbantur, Sacerdos namque non approbatus nullam prorsus jurisdictionem habet, nec scilicet absolvendi a reservatis, nec a non reservatis: hinc Ordinarius approbando aliquem ad Confessiones audiendas illi simul non concedit hoc ipso jurisdictionem in reservata. Immo facultate accepta ad audiendas Confessiones clausulis generalibus absolvendi ab omnibus, etiamque cum facultate super iis, quae

specialem mentionem requirunt, nihil proinde speciale vi hujusmodi concessionis confertur, nisi prius Ordinarius innuerit aliquod reservatum, ac deinde dixerit, caetera concedere, quae speciali mentione indigeant; concessisque reservatis, neque etiam facultas habetur in casu, pro quibus opus esset mentione specialissima: *Licet Episcopus* (ita Suaresius) *dicat, se concedere suam auctoritatem, et potestatem, non ideo censetur concedere casus reservatos. Secus vero esset, si prius concedat aliquem casum reservatum, et postea generaliter addat, et omnem meam potestatem, quia specificatio antecedens explicat generale verbum subsequens* (*De Sacr. Poen. disp.* 30. *sect.* 1.). Similiter D. Antoninus: *Secundum DD. si dicat Episcopus quibus dat licentiam audiendi Confessiones, Ego concedo auctoritatem meam, ex ista generali concessione non intelliguntur concessi casus reservati, nisi ipse specificet. Et si concedit casus sibi reservatos, non videtur ex hoc concessisse absolutionem ab excommunicatione, aut dispensationem in votis; et ideo ista in speciali sunt petenda* (*p.* 1. *tit.* 20. *c. un. de reg. Jur. in* 6.). Idque probatur tum ex reg. 81. in 6.: *In generali concessione non veniunt, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus*; verba autem, quibus Episcopus dicat, se concedere suam auctoritatem, et potestatem, sunt verba concessionis generalis: tum ex Decretali Bonifacii VIII., ubi: *Qui generaliter ad omnia, etiamsi mandatum exigant speciale, constituitur, ex vi generalitatis hujusmodi ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet. Sed si aliquis, vel aliqui de articulis speciale*

mandatum exigentibus, specificati fuerint, adjecta clausula generali, tunc ad non expressos etiam admittatur (C. Qui ad agendum 4. de Proc. in 6.).

310. Sequitur 2.°, quod casuum reservatio ipsos Parochos afficit, cum et ipsi sint ex Sacerdotibus inferioribus. Limitat quidem Lugo, si reservatio tanta sit, ut moraliter non possent suum officium exercere, in quo casu reservatio illis facta esset irrita: id tamen in praxi nulli usui esse potest, tum quia difficillime determinatur numerus casuum, quos sibi Episcopus reservando, Parochorum jurisdictionem inutilem redderet: tum quia cum ignorentur causae reservationis, numquam judicari potest absque errandi periculo, quod Episcopus justos limites excesserit; idque magis, quia tunc ad summum esset irrita reservatio Parochis facta, cum facta esset pro libito, et absque juxta causa, ut cum ipso Lugone declarat Ben. XIV. *de Syn. l.* 5. *n.* 3. Quibus accedit, quod cum vocari in dubium nequeat, posse Episcopum ex justa causa Parochum ab ipso officio removere, *propter ineptitudinem* scilicet, *vel in poenam*, ut loquitur idem Lugo, neque etiam in dubium vocari potest, quod possit illi pene omnem jurisdictionem auferre; etenim, ut concludit laud. Ben. XIV. l. c., *Episcopi imperio tota Parochorum jurisdictio subest.* Ex iisdem autem Trid. verbis sequitur, quod casuum reservatio ipsos quoque afficit Majores Poenitentiarios Cathedralium, ex Decl. S. C. 1647., quod non possunt absolvere a reservatis Episcopo, vel ab Episcopo: et contraria consuetudo, si forte alicubi adest, reprobanda est ex Lig. n. 599., ut irrationabilis.

311. Facultate igitur, ut dictum est; non obtenta absolvendi a reservatis, declaravit Trid. sess. 14. c. 7., *Sacerdotes nihil posse in casibus reservatis.* A quibus proinde tam Papae, quam Episcopis reservatis, alicujus privilegii praetextu absolvere praesumentes, ex decretis a S. C. emanatis ann. 1601, et 1602. auctoritate Clem. VIII., et anno 1607. auctoritate Pauli V., incidunt ipso facto in excommunicationem Papae reservatam (Lig. n. 602.): a qua caeterum ob verbum *praesumentes* excusat etiam ignorantia vincibilis, et crassa; ejusque reservatio est tantum generalis. Et quidem nihil possunt in casibus reservatis etiam quoad ignorantes reservationem, si agatur de casibus ab Episcopo, aliisve Praelatis inferioribus reservatis; cum reservatio non sit poena afficiens poenitentes, ut Lig. disserit n. 581., sed restrictio jurisdictionis, quae ad Confessarios pertinet. Quod et dicendum, etiamsi reservationi annexa sit censura, in quam poenitens, ex dicendis suo loco, ob ignorantiam non inciderit; in casibus namque reservatis ab Episcopo, aliisve Praelatis inferioribus, ut idem Lig. disserit n. 580, et 582., principaliter, et per se reservatur casus, seu peccatum, eique adnectitur censura, ut peccantes per duplicem reservationem a peccando magis absterreantur, quamobrem in Tabella casuum reservatorum ab Episcopo sic adnotantur: *Casus reservati, quibus est adnexa excommunicatio.* Si vero agatur de casibus Papae cum excommunicatione reservatis, invincibiliter ignorantes sive legem Ecclesiasticam, sive censuram, sicut liberantur a censura, ita et a reservatione excusantur, quia in casibus Pa-

pae reservatis principaliter, et per se reservatur censura, ut patet ex clausula, qua reservantur: *Sub poena excommunicationis nobis reservatae.* Excipitur a nonnullis casus simoniae promoti, vel promoventis ad Ordines, cujus (inquiunt) incurritur reservatio etiam ab ipsis ignorantibus invincibiliter censuram ex Const. *Sanctum* Xisti V. Sed id negat Lig. l. c., quia in *Extrav. de Simon.* huic crimini imposita subinde est excommunicatio Papalis. Verba autem Xisti: *Inhibentes, ne personae sic, ut praefertur, delinquentes, tam scilicet Antistites, quam Abbates promoventes, quam Clerici male insigniti, seu ordinati a reatibus, et excessibus praefatis absolvi, praeterquam in mortis articulo, possint*, cum aeque de aliis casibus Papalibus cum excommunicatione reservatis dici valeant, efficaciter non probant, ut contendit *Pav. Luce etc. n.* 98., quod Pontifex sibi reservaverit peccatum seorsim a censura, quodque ideo solus casus simoniae in Ordine excipiendus sit a regula generali caeterorum reservatorum Papalium, quod dum non incurritur censura, neque etiam incurritur reservatio.

312. Adsunt tamen duo casus Papae reservati absque censura, quorum proinde reservatio incurritur etiam ab invincibiliter ignorantibus: 1.°, *si quis falso accuset Sacerdotem de sollicitatione apud Judices Ecclesiasticos, sive per seipsos, sive procurando, ut per alios calumnia inferatur*, ex Const. *Sacramentum* Ben. XIV., a quo, ait Pont., nemo *quovis privilegio, auctoritate, et dignitate munitus* possit absolvere. Alter *si quis accipiat dona a Regularibus utriusque sexus, nisi prius totum restituerit, si dona valeant plu-*

ris decem scutorum Romanorum; *vel*, *si valeant minoris*, *saltem partem ad arbitrium majoris Poenitentiarii*. Circa quod advertendum, quod impotens tunc pro tunc restituere, potest a quovis Confessario absolvi, ut S. Poenit. respondit die 2. Mart. 1764., *facta obligatione restituendi eadem munera*, *seu illorum pretium*, *quamprimum poterit*. Quod si tunc pro tunc possit, nequit antequam de facto restituat, ab aliquo absolvi, modo facultatem non habeat in specie pro tali casu: *Dummodo privilegium* (ita sub eadem die ipsa S. Poenit.) *non sit speciale derogatorium infradicendarum Constitutionum*. Facta autem restitutione, declaravit die 14. Apr. ejusd. anni, quod a quovis Confessario absolvi potest (*Pav. Luce etc. n.* 109.

313. Sive autem peccatum fuerit ab Episcopo, sive a Summo Pont. reservatum, requiritur tamen, ut cadat sub reservatione, 1.°; quod peccatum et fuerit certe commissum, et sit certe reservatum, in dubio enim vel *facti*, cum nempe dubitatur, an commissum fuerit peccatum, quod est certe reservatum; vel *juris*, cum nempe dubitatur, an sit reservatum peccatum, quod certe commissum fuit, in utroque casu nulla habetur reservatio: et quamvis non pauci negent, inter quos Concina, posse tunc simplicem Confessarium absolvere, cum ejus jurisdictio sit saltem dubia; communis tamen, et vera sententia cum Lig. n. 600. affirmat: 1.° ex illa juris regula: *In poenis benignior est interpretatio facienda* (*reg.* 49. *jur. in* 6.). Cui consonat, quae habet: *Odia restringi convenit* (*reg.* 15.); quarum *sensum esse* (scribit Colet, quamvis ex

TT. strictioris notae), *quod in reservationis materia favendum sit poenitenti, quantum salva verborum proprietate, potest*; *et sic restringitur odium reservationis, quatenus haec strictiori, quo prudenter potest, sensu intelligitur* (*De min. Poen. n.* 217.). 2.° quia *in pari causa melior est conditio possidentis*, ut habet *reg.* 65; ideoque in dubio tam primi, quam secundi generis, possessio stat pro facultate absolvendi. 3.° ex eo ipso, quod objicit Conc., quod nempe Clem. VIII. prohibuit Confessariis, etiam privilegiatis, absolvere a casibus *etiam dubiis in Bulla Coenae reservatis*; et in Extrav. *Perlectis* declaratur, percussionem Clerici esse Papae reservatam, etiam cum dubitatur, num sit levis, vel gravis; principium namque est procul dubio positum, quod *exceptio firmat regulam in non exceptis*. Simul tamen advertendum, quod addit *Ronc.*, moderatum a Clem. fuisse illud Decretum ann. 1602, sublatis illis verbis *etiam dubiis*. Addit Lig., quod si poenitens confessus fuerit simplici Confessario peccatum dubie reservatum, omnino liberatur a reservatione, etiamsi illud deinde agnoscat, ut certum: cum enim peccatum directe absolutum fuerit, directe etiam sublata est reservatio, nec proinde amplius tenetur Superiori se sistere pro ablatione reservationis. 2.° quod peccatum sit consummatum, nisi aliter exprimatur in reservatione, cum enim reservatio sit res odiosa, est quoque stricte interpretanda: ex quo principio etiam sequitur, quod in materia reservationis non valet argumentum nec a pari, nec a fortiori. Hinc reservato homicidio, non incidit in reservationem nec qui lethaliter vulne-

ravit, si vulneratus convaluit; nec qui alium vulneravit, qui decessit quidem, sed ob Chirurgi errorem, dum illum medebatur. Hinc etiam, reservatis adulterio, incestu, sodomia, non incidit in reservationem qui copulam cum parte habuerit vel non emisso, vel foras emisso semine; aut in adulterio, vel incestu semen emiserit in vase indebito, aut sodomitice cojerit cum persona ejusdem sexus. Hinc etiam, ait Concina, *si reservetur peccatum scribendi epistolas obscoenas ad Moniales, si epistolae scriptae non perveniant in manus Monialium, casus non est reservatus* (*Th. Mor. diss. 2. de jurisd. Min. c. 6. §. 1.*). Hinc demum reservata blasphemia, non incidit in reservationem, ut immerito docet Cuniliati, qui terat pedibus imaginem. Peccata autem venialia numquam in usu fuit reservare, cum Trid. tantum approbaverit l. c., reservari *atrociora quaedam, et graviora crimina.* Falsum tamen est, quod si reserventur, irrita sit reservatio; quia, ut Lig. disserit n. 582., licet nemo teneatur illa confiteri, tamen et ipsa remitti nequeunt per Sacramentum Poenitentiae, nisi ex vi jurisdictionis, quae nonnisi ab Ecclesia est habenda. Sic etiam peccata mere interna *non est in praxi receptum* (ut scribit Ben. XIV. l. 5. de Syn. c. 5. n. 5.) *quod umquam reserventur.* Quare, nisi exprimatur, quod etsi peccatum sit mere internum, habeatur quoque, ut reservatum, non cadit sub reservatione; sub qua nec etiam cadit, ut addit Lig. n. 583., etsi peccatum sit interne grave, sed externe leve, quia licet actus externus imbibat totam malitiam actus interni, cum tamen non sit in usu reservare interna, nec etiam pec-

catum intelligitur reservatum, nisi graviter exterius consummatum. At similiter falsum est, quod si reserventur peccata mere interna, reservatio est irrita; quia, ut idem Lig. disserit n. 582., aeque omnia peccata tam externa, quam interna absolvi nequeunt, nisi per jurisdictionem acceptam ab Ecclesia, cujus sicut est illam dare, ita et illam restringere.

314. Quamvis caeterum declaraverit Trid., *Sacerdotes nihil posse in casibus reservatis*, casus tamen adsunt, in quibus simplex Confessarius potest ab iis absolvere. Et 1.° in extrema necessitate, mortis scilicet articulo, vel periculo, in quo, ut ait Trid. l. c., *nulla est reservatio, atque ideo omnes Sacerdotes* (ac etiam haeretici, et vitandi ex dictis n. 304.) *quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt.* Et quidem si peccata adnexam non habeant censuram, non tenetur qui ab iis absolutus fuerit in mortis articulo, vel periculo, se postea sistere Superiori, si convaluerit, cum ab iis directe absolutus fuerit. Si vero adnexam habeant censuram, debet Confessarius, et quidem sub gravi (non tamen sub excomm., ut falso docet *Terzago*) juramentum ab eo exigere, praesentandi se postea Superiori, si convaluerit, alioquin, ex *c. eos, qui de sent. exc. in* 6., *et c. ea noscitur de sent. exc.*, ipso jure reincidit in similem censuram; nec non curare, ut parti satisfaciat, si ita opus sit; idque si nequeat tunc temporis, quod promittat saltem facturum quamprimum poterit. (*Lig. n.* 567. *et l.* 7. *n.* 91.). Falsum porro est quod supra diximus Terzagum docere; supponit namque, quod praedicta obligatio imponatur Confessario, tamquam conditio,

sine qua non habeat facultatem a censuris moribundum absolvendi. Hujus autem conditionis vestigium nec in citatis textibus, nec ullibi reperitur. Qua super re advertendum quoque est, 1.° prae oculis habendam esse gradationem, de quae diximus n. 304.; quodque monuimus super absolutione complicis n. 308.. 2.° quod si moribundus sit innodatus excomm. reservata, coeperitque Confessionem cum non habente facultatem, debet praesente Superiore prius obtinere absolutionem a censura, et postea Confessionem perficere: quivis enim Confessarius, ut verius putat Lig. n. 563., potest moribundum absolvere, etiam praesente Superiore, a reservatis absque censura, quia tunc temporis omnis cessat reservatio, non tamen a censuris; cum enim poenitenti ipsi innodato teneatur Confessarius imponere, ut elapso mortis periculo, Superiori se sistat, quis non videt, quod si infirmus potest *illo tunc* ante absolutionem illi se sistere, utique tenetur prius absolutionem a censuris obtinere, et deinde potest a peccatis absolvi. Hinc in casibus Pontifici reservatis, si non possit Pontifex adiri, adeundus est Episcopus, ut idem Lig. probat ex *cit. c. Ea noscitur etc.*, ubi id expresse praecipitur, ex quo sequitur, quod Episcopus jure ordinario absolvit: subjungens simul, quod nec ad Pontificem, nec ad Episcopum ulla adest obligatio recurrendi per literas, aut internuncium, quia in hoc semper adest manifestationis periculum.

315. Potest 2.° simplex Confessarius a reservatis absolvere, si casus sit reservatus, *secuto effectu*, atque hic nondum secutus fuerit, prout est casus pro-

curantium abortum foetus animati, de quo diximus l. 1. n. 129.; cum enim effectus nondum secutus fuerit, poenitens non adhuc incidit in reservationem. Secuto autem effectu, si casus erat absque censura, non amplius tenetur, qui a peccato absolutus fuerit, rursus de illo confiteri penes habentem facultatem, tum quia ab eo fuit directe absolutus; tum quia locus nec est, nec esse potest reservationi ubi per absolutionem non adsit amplius peccatum. Si vero casus erat cum censura, tenetur absolutionem sibi obtinere, non quidem a peccato, sed a censura reservata, in quam *secuto effectu* incidit: quamvis enim positio effectus peccatum in anima non reproduxerit, causa tamen fuit, quod contraheretur censura, qua puniri potest culpa etiam per contritionem, vel attritionem cum Sacramento deleta: sicut enim qui excommunicatione innodatus conteritur de peccato, ob quod in excommunicationem incidit, liberatur per contritionem a peccato, sed non liberatur ab excommunicatione, ita evenire potest, et reapse evenit in casu, de quo agimus, quod reus, postquam se justificaverit per Confessionem, incidit tamen, *secuto effectu*, ob culpam praeteritam in censuram.

316. Potest 3.° simplex Confessarius a reservatis absolvere cum jurisdictione notabiliter probabiliore ab illis absolvendi, etiamque cum jurisdictione probabili in casu gravis necessitatis, aut magnae utilitatis, vel ex alia causa rationabili. Primum, ex ordinaria Confessariorum consuetudine utendi jurisdictione, quam probabilius habere se putent sive in personam, sive in poenitentis peccatum; qua posita, ipsa consuetudo ju-

risdictionem praebet, cum sit indicium consensus taciti Episcoporum, propterea quod consuetudini non contradicunt. Cui accedit, quia secus Confessarii in perpetua anxietate haerere deberent, cum non raro, sed frequenter id occurrat: ex quo sequitur, moraliter certum esse, quod Ecclesia jurisdictionem suppleat, si haec forte deesse contingat (*Pav. Luce etc. n.* 65., *et* 69.). Alterum, quia fere omnium quoque Confessariorum consuetudo adest absolvendi cum jurisdictione probabili, gravi fulcita ratione, et auctoritate, ut testantur Suar., Lugo, aliique innumeri: qua profecto uti non licet, ait Lig. n. 573., cum nulla adest causa gravis necessitatis, aut magnae utilitatis, vel alia causa rationabilis, quia praesumendum non est, Ecclesiam jurisdictionem supplere, nulla justa causa accedente, ac ut merae conniveat Sacerdotum libertati; sed bene uti licet in casu gravis necessitatis, magnae utilitatis, aliusve causae rationabilis, quia bene tunc praesumitur Ecclesia illam supplere ob bonum animarum. Nec obstat prop. damnata ad Innoc. XI.: *Non est illicitum etc.*, cum haec loquatur de opinionibus circa ea, in quibus nihil potest Ecclesia, circa materiam scilicet, et formam Sacramentorum, non vero circa jurisdictionem, quae bene ad Ecclesia suppleri potest, et moraliter certo praesumitur suppleri in casu proposito ob bonum animarum.

317. Potest 4.° simplex Confessarius a reservatis absolvere, si peregrinus confiteatur de peccatis in sua Dioecesi reservatis, nisi illuc migraverit *in fraudem reservationis*: idque et quia sic habet universalis consuetudo, quae certos reddit de tacito Episco-

porum consensu; et quia idem declaravit Eug. IV. testibus Lug., et Salm.; et quia demum confirmatum habetur a Clem. X. Const. *Superna*. Illud autem *in fraudem reservationis*, quod expresse Clem. X. signavit, eos afficit, qui alienam petunt Dioecesim praecipue ad finem obtinendi absolutionem; fraus namque intervenire dicitur, ut ait Barbosa *axiom.* 202., ubi lex redditur elusoria, ut in dicto casu fieret, eludendo legem reservationis. Hinc si finis praecipuus poenitentis alio migrandi non fuerit, ait Lig. n. 589., reservationem effugere, et facilius absolvi, sed vel negotii pertractandi, vel lucrandae Indulgentiae, vel prudentiorem Confessarium inveniendi, absolvi poterit. Excipiendum tamen est 1.°, si peccatum sit quoque reservatum in Dioecesi, ubi confitetur: quo in casu, etiamsi non sit reservatum in Dioecesi poenitentis, nec etiam Confessarius illum potest absolvere, quia reservatio non afficit principaliter poenitentem, sed Confessarium, cui ideirco deest jurisdictio illum absolvendi. 2.°, si casus sit reservatus cum censura: etsi enim ex multorum sententia, quos inter *Pav. Luce etc. n. 43., et sequ.*, possit quoque absolvi, et quia etiam in hoc habetur, ut inquiunt, tacitus Episcoporum consensus; et quia quisque judicandus est juxta leges loci, ubi de eo judicium fertur; et quia cum impossibile sit censuras scire aliarum Dioecesum, et quaenam ibi sint reservatae, impossibilium nulla est obligatio: probabilius tamen id negat Lig. n. 590, quia tota facultas simplicis Confessarii absolvendi a censuris habetur ex *C. Nuper de sent. exc. in* 6. Ibi autem dicitur, quod simplex Con-

fessarius nequit absolvere a censuris, quando sint reservatae: quibus proinde reservatis, caret jurisdictione ab illis absolvendi. Resp. autem ad 1., quod de illo tacito Episcoporum consensu non satis constat, cum DD. classici dissentiant, quorum consensus de illo etiam Episcoporum consensu praesumptionem praebet. Ad 2., quod in casu, de quo agitur, est mera petitio principii, quod quisque judicandus est juxta leges loci, ubi de eo judicium fertur. Ad 3., quod impossibilitas sciendi aliarum Dioecesum censuras, et quaenam ibi sint reservatae, probat quidem, non teneri Confessarium casus addiscere Dioecesum, in quibus Confessarii munere non fungitur, ac supplere Ecclesiam jurisdictionem, si forte aliquod peccatum, de quo poenitens se confitetur, sit cum censura reservatum ex dictis n. 306. Ubi tamen a poenitente, vel aliunde id resciat, potest nihilominus poenitentem ab illo absolvere? En quaestionis subjectum; quam negative esse resolvendam, ratio supra allata ostendit. Advertendum tamen, quod si poenitens ob ignorantiam invincibilem ipsius censurae in illam non inciderit, posset in casu proposito absolvi: quamvis enim in casibus Episcopalibus incurratur reservatio ab iis etiam, qui ob ignorantiam a censura excusantur; quia tamen ideo in casu proposito nequit peregrinus absolvi, quia ex *C. Nuper* nequit simplex Confessarius a censuris reservatis absolvere, si proinde ob ignorantiam in censuram non inciderit, absolvi poterit.

318. Potest 5.° simplex Confessarius a reservatis absolvere si poenitens adire nequeat facultatem habentem, nec possit absque infamia, vel scandalo ab-

stinere a celebrando, vel communicando, vel diu manere deberet in peccato mortali: nonnisi tamen *indirecte*, exquirendo scilicet a poenitente aliud non reservatum, ut directe ab hoc absolvatur, eique onus imponendo, ut cessato impedimento se praesentet habenti facultatem, ut absolvatur *directe* a reservatis: idque, ut addit Lig. n. 585., etsi casus adnexam habeant excommunicationem, ac sive Episcopo, sive Papae sint reservati. Et sane, quod etiam indirecte absolvantur quandoque peccata, prout ea, quae ex inculpata oblivione omittuntur, indubium est ex *Trid. sess.* 14. c. 5., ubi: *Reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eidem Confessione inclusa esse intelliguntur.* Hoc autem posito, cum reservatio, ut idem Trid. ait c. 7., esse debeat *in aedificationem, non in destructionem*, necessitatis casum Superiorem excepisse, merito praesumitur. *Quemadmodum enim* (ita hic Concina) *temere praesumitur benignitas Matris Ecclesiae, necessitate sublata, ita merito praesumitur, illam non ademisse facultatem suis Ministris absolvendi a reservatis, necessitate urgente* (*l. 2. de Sacr. Poen. diss. 2. c. 6.*). Quare, si declaravit quidem Trid., quod simplices Confessarii *nihil possunt in casibus reservatis*; prohibuitque Clem. VIII., sub excomm. ipso facto, ut diximus n. 311., ne quis ab illis absolvere audeat absque speciali facultate, nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, utrumque intelligendum est de absolutione directa, quae delinquentem eximat ab onere de illis postea se confitendi apud habentem facultatem, non vero de in-

directa, de qua loquimur. Ad quoddam autem S. Poen. Rescriptum, quo affertur, declarasse irregularem quemdam Confessarium, qui in necessitate absolverat absque speciali facultate a reservatis, et postea celebraverat: respondetur, quod vel istiusmodi S. P. Decl. est falsa; vel Confessarius extra casum verae necessitatis id fecerat. Caeterum quod hoc omni procul dubio liceat, confirmat quoque Ben. XIV. *Not.* 83. *n.* 22. Idque licet, ut ex Lig. diximus, tametsi casus adnexam habeat excommunicationem: cum enim haec in necessitatis casu, de quo agitur, non reddat poenitentem inhabilem ad Sacramentum Poenitentiae, ut suo loco dicetur, urget proinde praeceptum Divinum praemittendae Confessionis ad Communionem.

319. An vero poenitens in casu proposito teneatur tam non reservata, quam reservata confiteri, videtur quidem affirmandum, tum ad servandam legem de Confessionis integritate, tum ut Confessarius recte judicare possit de statu ejus conscientiae. Negat tamen sententia non minus probabilis, utque scribit Lig. n. 265., et 585., forte probabilior, quod *per se* teneatur ad Confessionem reservatorum: tum quia alias teneretur bis peccata illa reservata confiteri, primo non habenti, deinde habenti facultatem; tum quia nulla videtur esse obligatio confitendi peccata illa, super quibus Confessarius nequit esse Judex, ac nullam super iis jurisdictionem habet. Dictum tamen est *per se*: si enim poenitens sit recidivus in reservatis, vel sit per illa in aliqua occasione proxima, procul dubio tenetur ad illorum Confessionem, ut Confessarius recte de ejus dispositione judicare possit: sicut

etiam si a Confessario super illis interrogetur, ob jus quod habet, statum ejus conscientiae agnoscendi, et tamquam Judex, ut recte judicare possit de ejus dispositione, et tamquam Medicus, ut salutaria remedia illi queat praebere: in quibus casibus ad id teneretur *per accidens*, non vero *per se*, sive ex obligatione integritatis Confessionis, cum in eo casu bene sit satis integritas formalis. Bene tamen ob legem de integritate Confessionis nequit habens facultatem absolvere tantum a reservatis, et poenitentem ad alium mittere, qui eum a non reservatis absolvat.

320. Praedictis casibus exceptis, nec simplex Confessarius potest umquam a reservatis absolvere, nec umquam tollitur reservatio, nisi Confessio perficiatur apud habentem potestatem. Apud quem bene tollitur, quamvis Confessio sit inculpabiliter invalida; cumque hoc, ut scribit Lig. n. 598., sit probabilius, et commune inter DD., est quoque tutum in praxi, quum enim sequitur doctrina, quae a sanioribus TT., licet non omnibus, communiter traditur, Ecclesia ex omnium sententia supplet jurisdictionem, si forte desit. Vel enim habens reservata de iis confitetur apud ipsum Superiorem; cumque reservatio principaliter ordinetur, ut peccata ad Superiorem deferantur, semper proinde ac subditus peccatum illius judicio subjecerit, reservationis finis jam locum habuit. Vel de iis confitetur penes habentem facultatem: ac esto hic nequeat reservationem tollere, nisi per Sacramentalem absolutionem, cum tamen subditus peccatum ei detulerit, aeque etiam locum habuit finis reservationis, ideoque praesumitur, quod Superior reservationem

tollat. Quamvis autem sit valde probabile, quod non tollitur per Confessionem culpabiliter nullam, cum non praesumatur Superior velle, quod subditus commodum ex iniquitate reportet: contraria tamen sententia, ut idem Lig. scribit l. c., longe communior est, nec caret sua probabilitate, cum eadem ratio militet pro Confessione inculpabiliter, et pro culpabiliter nulla, aliusque sit finis Confessionis, alius reservationis. Quod autem peccator commodum ex sacrilegio reportet, id per accidens evenit: ac licet Superior, sive habens facultatem nollet quidem reservationem tollere, si sacrilegium agnosceret, est tamen haec voluntas interpretativa, non jam actualis, qua de facto eam aufert. Bene vero, cum non tollatur reservatio, nisi peccatum subjiciatur Superioris judicio, hinc si penes ipsum, vel habentem ab eo facultatem per oblivionem relinquatur, reservatio non tollitur, ut probabilius censet Lig. n. 597.: addens simul; 1.° quod sententia opposita etiam est probabilis, tum ob auctoritatem plurimorum DD., inter quos Colet, qui scribit. *Ita existimat unanimis pene DD. turma*; Pontas, qui ait: *Ita docent praecipuae notae AA.*; Sylvius, Cabassutius, D. Antoninus, aliique: tum quia praesumitur Superior tam per seipsum, quam per habentem ab eo facultatem poenitentem recte dispositum velle liberare ab omni peccatorum vinculo, a quo potest, ut signanter exprimit per verba: *In quantum possum, et tu indiges.* 2.° quod bene censetur sublata reservatio, cum ex aliquo positivo indicio habetur praesumptio, voluisse Superiorem reservationem auferre; vel poenitens ad hunc fi-

nem adiverit Superiorem, vel habentem facultatem, ut ab omnibus reservatis absolveretur, et hanc suam intentionem illi manifestaverit; vel demum, quando privilegium concessum fuerit in favorem poenitentis, prout est illud Jubilaei, et Bullae Cruciatae. 3.° quod omnino dicendum, reservationem non auferri, cum positiva praesumptio adest, quod si Superior audivisset peccatum reservatum, absolutionem distulisset. Si agatur caeterum de casibus Papalibus cum censura, nullus controversiae locus est, quod, etsi reservatum per innoxiam oblivionem relictum fuerit in Confessione facta penes habentem facultatem, nulla amplius adest reservatio; quia enim casus hujusmodi ex dictis n. 311. praecipue reservantur propter censuram, hac proinde sublata ab habente facultatem per verba: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis ec.*, cum non sit necessarium ad absolutionem etiam directam a censuris, quod Confessarius eas prius agnoverit, omnis quoque reservatio sublata est (*Pav. Luce ec. n.* 237.)

321. Ut tamen reservatio tollatur per absolutionem ab habente facultatem, varias, sciendum est, inter casus Pontifici reservatos esse reservationum species. Quidam enim in Bullis Pontificum reservantur reservatione generali; suntque *ii, a quibus, dicitur a Pontifice, quod nemo, praeterquam ab ipso, nisi in mortis articulo, possit absolvi.* Quidam vero reservantur reservatione speciali; suntque *ii, a quibus, dicitur a Pontifice, quod nemo possit absolvi ab ullo Confessario quovis privilegio munito*: vel *ii, a quibus nemo possit absolvere, nisi ex speciali Pontificis facultate, vel com-*

missione : vel *qui ipsi Majori Poenitentiario fuerint a Pontifice reservati*; valde enim dissonum esset, si quod non posset absolvi a Majori Poenitentiario, absolveretur ab aliquo Confessario vi alicujus privilegii: ac demum *omnes casus Pontifici reservati, etsi reservatione generali, et ordinaria, dum non sint occulti, sed publici*; in quo casu semper habendi sunt, ut specialiter reservati, nam ex una parte indubium est, quod sub concessione generali comprehendi non debent, quae sunt difficilis concessionis, ex reg. 81. in 6.: *In generali concessione non veniunt, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus*; ex altera vero, quam difficile sit, ut obtineatur facultas absolvendi a casibus Pontifici reservatis, cum non sunt occulti, sed publici, ex eo patet, quod nec ipsi Episcopi per *C. Liceat* possunt ab iis absolvere. (*Pav. Luce ec. n.* 125.). Hujusmodi autem, idest specialiter reservati, sunt prae aliis casus Bullae *Coenae*, de quibus Lig. l. 7. n. 281., et sequ.; casus *Clementini*, de quibus diximus l. 1. n. 125.: item *qui det, accipiat, promittat, acceptet vel minimum ad obtinendum aliquid a Sede Apostolica, vel auxilium ad id, vel consilium ec. praebeat*, ex Const. enim *Inter gravissimas* Alex. VII. nequit absolvi, nisi ex speciali mandato Pontificis, et nisi prius pauperibus dederit quidquid accepit: sicut etiam *qui impediat, ut literae S. Poenit. exequantur, vel ad id auxilium, vel consilium praebeat*, ex Const. Julii III. *Rationi congruit* similibus verbis concepta: aliique pauci, qui rarissime occurrunt, et videri possunt apud *Pav. Luce ec. n.* 121., *et sequ.* Quidam denique reservantur reservatione specialissima; suntque *ii, a quibus*,

dicitur a Pontifice, quod numquam concessa habeatur facultas absolvendi, nisi expressis terminis data fuerit: nec non *omnes reservati sub aliqua conditione, hac non impleta; vel usque ad definitum tempus, hoc non exacto*: sicut etiam *omnes censurae ab homine per sententiam particularem*; cujusmodi etiam sunt *censurae, quae in monitoriis infliguntur in non revelantes, tametsi eorum nomen non individuetur*: ac demum *omnes casus ad forum deducti*, ex *c. Proposuisti* 19. *de foro comp.*

322. Quibus praemissis: ad absolvendum dumtaxat a casibus reservatis reservatione generali sufficit facultas generalis, et ordinaria absolvendi ab omnibus casibus Pontifici reservatis, cujusmodi est facultas, quae in nostro Regno obtinetur per Bullam Cruciatae: non autem ad absolvendum a casibus reservatis reservatione speciali, ad quod requiritur, ut Superior facultatem quoque dederit specialem: vel scilicet ipsos casus expresse concedendo; a quibus tantum in hac hypothesi absolvi potest: vel concedendo facultatem absolvendi ab omnibus casibus Pontifici reservatis, simulque aliquem ex iis, qui specialius reservantur, exprimendo; in qua hypothesi habetur facultas absolvendi ab omnibus specialibus: vel concedendo facultatem absolvendi ab omnibus casibus Pontifici reservatis, simulque aliquem, vel aliquos ex specialibus excipiendo, in qua hypothesi habetur facultas absolvendi ab omnibus specialibus, praeterquam ab exceptis, ex regula apud Canonistas communi, quod *exceptio firmat regulam in non exceptis.* Quibus tamen modis obtenta facultate absolvendi a casibus spe-

cialiter reservatis, neque etiam illa extenderetur ad specialem reservationem alicujus casus, quae fuisset posterior privilegio, nisi istud fuisset pro reservatis, et reservandis; per clausulam namque, quod casus *a nemine possit absolvi quovis privilegio munito* anteriori privilegio derogaretur.

323. An vero Episcopus reservare possit casus Pontificios Confessariis habentibus privilegium ab iis indistincte, et indefinite absolvendi, est valde scitu necessarium: ac respondendum cum distinctione: quod si agatur de casibus, qui appellantur *Nobis*, de quibus diximus l. 1. n. 129., potest hos illis reservare: cum enim in eos potestatem habeat Episcopali officio, ac dignitati adnexam, ideoque potestatem, ut diximus cum Barbosa l. 1. n. 120., quae *potestatis ordinariae jura habet*, hinc potest, cum facultatem concedit excipiendi Confessiones, sicut illam delegare, ita etiam non delegare. Quare docet Lig. *l. 1. app. de priv. §. C.*, posse quidem Regulares ex privilegio absolvere a praedictis casibus, qui dicuntur *Nobis*, at simul, *id non valere quoad percussionem Clerici, nec quoad omnes alios casus, quos sibi Ordinarius reservaret.* Quod et repetit *l. 7. n. 99.*, ubi docet, Regulares ex privilegio posse absolvere intra Italiam *a censura propter abortum foetus animati. Si vero Episcopus hunc casum specialiter sibi reservaverit, tunc nullo modo Regulares possunt illum absolvere.* Si vero agatur de aliis casibus Pontificiis, negatur, quod Episcopus possit hos reservare Confessariis habentibus privilegium ab iis indistincte, et indefinite absolvendi. Nam non posse Episcopum sibi reservare

casus, in quos potestatem non habeat, perspicuum est, nec probatione eget. Exceptis autem casibus, qui *Nobis* appellantur, nullam Episcopus potestatem habet in alios casus Pontifici reservatos, nisi 1.° ex *c. Liceat* cum sunt occulti, nec Episcopis specialiter reservati; 2.° cum illis censura est adnexa, ac delinquens invincibiliter censuram ignorabat, ut diximus num. 311.; 3.° cum agitur de impeditis Romam adire, ut diximus l. 1. num. 132.: Tantum igitur in his tribus hypothesibus posset Episcopus illos sibi reservare, non vero cum casus non est occultus, ac poenitens censuram illi adnexam sciebat, nec demum sit impeditus Romam adire. Si autem Confessariis habentibus privilegium ab iis indistincte, et indefinite absolvendi illos posset in tribus prioribus hypothesibus reservare, sequeretur inde, quod hi possent absolvere ab illis casibus poenitentes, dum casus non esset occultus, censuram illi adnexam sciebant, nec sint impediti Romam adire, non vero dum casus esset occultus, vel invincibiliter censuram ignorabant, vel impedirentur adire Romam; quod et incohaerens, et praeposterum dictu esse, nemo non videt; et adversatur illis juris regulis: *Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere* (*reg.* 21.). Cui consonat, quae sic habet: *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus* (*reg.* 53. *in* 6.): Non ergo illos posse iis reservare, consequens est.

324. Pauca demum de casuum reservatione respectu Regularium. Et 1.°, ut statuit Clem. VIII., Praelati Regulares possunt, si velint, undecim tantum casus sibi reservare, nec plures sine consensu Capituli genera-

lis pro tota Religione, vel Capituli Provincialis pro Provincia. Quare nec possunt aliquid insuper praecipere sub excomm. sibi reservata, ut decrevit S. C. Episc. 1717., quia id esset indirecte reservare, et eludere Clem. prohibitionem. Casus autem a Clem. assignati sunt sequentes: 1. *Apostasia a Religione, etiam retento habitu.* 2. *Nocturna, ac furtiva e Monasterio egressio.* 3. *Veneficia, incantationes, et sortilegia.* 4. *Proprietas contra votum paupertatis pertingens ad mortale.* 5. *Furtum mortale de rebus Monasterii.* 6. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.* 7. *Juramentum falsum in judicio legitimo.* 8. *Procuratio, consilium, vel auxilium ad abortum foetus animati, etiam non secuto effectu.* 9. *Occisio, vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personae.* 10. *Falsificatio manus, vel sigilli Officialium Monasterii.* 11. *Malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio literarum a Superioribus ad inferiores, vel contra.* Facta tamen reservatione, si Superior neget Confessario facultatem absolvendi, quam hic judicet concedendam, potest Confessarius ex Decl. ejusd. Clem. *pro illa vice* absolvere; quae Clem. verba idem significare, ac *toties quoties* docet Cont. Tourn. ex Decr. S. C. de consensu Pontificis (Lig. n. 586.). 2. Ex privilegio S. Pii V. possunt Praelati Regulares in suos subditos, quod Episcopi in suos ex Trid. per *c. Liceat*: quod privilegium licet Mendo ap. Croix astruat confutare, illud tamen authentice referunt prae aliis Salm. Excipiendi tamen sunt casus Bullae *Coenae*, tum per clausulam in ea insertam: *Non obstantibus privilegiis etc. alicui, vel aliquibus cujuscumque Ordinis conces-*

sis: tum quia si hodie nec etiam Episcopi absolvere ab iis possunt post prop. 3. damnatam ab Alex. VII., multo minus Praelati Regulares. Excipiendus quoque est casus haeresis, cum enim disceptatum fuisset, an revocatio per Trid. facta Privilegii Regularibus concessi absolvendi haereticos esset tantum intelligenda pro Saecularibus, an vero etiam pro Religiosis subditis? S. C. dijudicavit intelligi pro omnibus. Ac demum excepto casu schismatis, falsificationis literarum Apostolicarum, et delationis prohibitorum ad Infideles, ex reservatione ipsis facta a Clem. IV. Const., quae incipit *Virtute conspicui*. A censura autem ob percusionem alterius Religiosi, dicitur in *c. cum illorum* 32. *§. qui de sent. exc.*, quod possunt suos subditos absolvere, si Religiosus percusserit alium ejusdem Ordinis, *nisi excessus extiterit difficilis, et enormis, utpote si ad mutilationem membri, vel ad effusionem sanguinis est processum, aut in Episcopum, aut Abbatem violenta manus injecta.* Si vero Religiosum alterius Ordinis, nonnisi per Apostolicam Sedem absolutionis gratiam poterit promereri. Ob percussionem autem Clerici saecularis, absolvi poterit ab Episcopo, si percussio fuerit levis: si vero gravis, vel enormis, ad Sedem quoque Apostolicam recurrendum (Lig. l. 7. n. 101., 105. 106., et 107.). 3. Quod Praelati Regulares nedum professos, sed et Novitios absolvere possunt ab iisdem casibus, de quibus supra, ex privilegio Jesuitis concesso, quod ex communicatione extenditur ab omnes Regulares, ut possint Novitiis communicare omnia Societatis privilegia. Nequeunt tamen illos absolvere a censuris ab Episco-

pis sibi specialiter reservatis, ut docet Lig. l. 7. n. 103.: quia enim jurisdictionem excipiendi eorum Confessiones non habent ab Episcopo, sed ex privilegio, locum quidem non habet pro Novitiis casuum reservatio facta ab Episcopo, quae cum sit restrictio jurisdictionis, sicut ab Episcopo non datur pro Novitiis, ita nec ab Episcopo restringi valet. Quare si Novitius (scribit idem Lig. l. 6. n. 583.) inciderit in casum reservatum ante ingressum, non poterit quidem absolvi a quolibet Confessario Saeculari, sed poterit a Confessario Religionis ob privilegium Religioni concessum. Quia tamen absolutio a censuris est quid distinctum ab absolutione a peccatis, hinc si ante ingressum contraxerit censuram ab Episcopo sibi specialiter reservatam, locum utique habet Decr. Urb. VIII., et prop. 12. proscripta ab Alex. VII., quibus cautum est, ne Regulares absolvant a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate. 4.° quod ex Const. *Superna* Clem. VIII., *possunt tam Praelati Regulares, quam Confessores Regularium audire Confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia, et continui commensales*; nec et hi, perinde ac Religiosi, ac Novitii, subjacent idcirco, ut docet Lig. n. 583. reservationi Episcopi. 5.° quod Confessarii Regulares possunt saeculares absolvere ab omnibus casibus Papalibus, iis quoque, qui a jure, vel consuetudine sunt Episcopis reservati, utpote magis dicendis Episcopis delegatis, quam reservatis, modo tamen sint occulti, exceptisque casibus tam Bullae Coenae, quam Clementinis, de quibus l. 1. n. 125., per Italiam ex-

tra Romam degentibus ; ac Romae , exceptis quoque casibus *Presbytericidii publici* ; *publicae violatae clausurae Regularium ad inhonestum finem* , *et publice violatae immunitatis Ecclesiasticae in terminis Const. Greg. XIV. Cum alias nonnulli etc.* : *et etiam in casu occulto dictae violationis immunitatis* , *si fuerit sequuta auctoritate publica* , omnibus specialiter Romae reservatis a Clem. XI. : sicut etiam exceptis casibus Haereseos , ac Simonae in Ordine , ex dictis l. 1. n. 126. , et 127. , ac falso accusantium Confessarium de sollicitatione , ex dictis n. 312. , aliisque specialiter , eoque magis specialissime reservatis , de quibus n. 321. Ita ex eorum privilegiis ap. Lig. l. 1. *app.* 11. *de Priv.* §. *XCIX.* , *C.* , *et CI.* , *et l.* 7. *n.* 96. , *et* 99. ; *et ap. Pav. Luce etc. n.* 331. Minime tamen absolvere possunt Saeculares a casibus ab Episcopis sibi specialiter reservatis , ut omnino tenendum ex prop. 12. damnata ab Alex. VII. : *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis* , *non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

Caput X.

De obligationibus Confessarii.

325. Cum Confessarius in Tribunali Poenitentiae nedum Judicis , sed et Medici , ac Doctoris munere fungatur , probatione non eget , quod sufficienti scientia praeditus esse debeat ad triplex hoc munus exercendum , quodque graviter peccet tum iis , qui sine sufficienti scientia Confessionibus excipiendis se

ingerit, tum is, qui talem Confessarium sine necessitate constituit, aut, cum possit corrigere, tolerat (ita Lig. n. 628.). Ubi et refert Decr. S. C. sub die 8. Nov. 1752., confirmatum a Ben. XIV. ut in omnibus Conventibus Regularium, in quibus sint Confessarii ab Ep. approbati, omnino fiat lectio, et conferentia casuum conscientiae; et ubi haec non fit, teneantur praedicti Confessarii assistere casuum conferentiae ab Episcopo statutae. Praefata autem praeditus scientia, tenetur 1.°, si opus sit, ut poenitentis saluti consulat per Confessionem generalem, si ejus praeteritae Confessiones irritae fuerint. Quandonam tamen tenetur id Confessarius inquirere? Ad quod antequam respondeamus, praemittendum ducimus ex Lig. n. 505., *non esse cogendos poenitentes ad repetendas Confessiones, nisi moraliter certo constet, eas fuisse invalidas, quia possessio stat pro valore Confessionum praeteritarum, quamdiu de earum nullitate non constat. Et quoad obligationem repetendi Confessiones recidivorum, de quarum valore saepe dubitari potest, hanc regulam optime tradit Habert, dicens: Si poenitens aliquamdiu post Confessionem dignos poenitentiae fructus fecit, hoc est strenue adversus tentationes, et peccandi occasiones pugnaverit, Confessarius judicabit, validam fuisse Confessionem. Secus, si paullo post Confessionem, seu data prima occasione lapsus fuerit. Tunc enim, ego addo, revera moraliter certum est, Confessiones fuisse nullas, nam qui in Confessione vere dolet, et proponit emendationem, saltem per aliquod tempus a peccato se abstinet, saltem aliquem conatum adhibet ante relapsum; unde*

qui post suas Confessiones ut plurimum cito, et sine aliqua resistentia iterum cecidit, certe censendus est, nullum, vel nimis tenuem habuisse dolorem, vel propositum. Aliter vero dicendum, si per aliquod tempus perseveraverit, vel ante casum aliquam saltem resistentiam praestiterit. Quod et repetit *in praxi Conf. n.* 20., ubi cum Segnerio addit, *non esse obligationem repetendi Confessiones, nisi in casu manifestae necessitatis, et in quo error sit evidens: neque relapsus esse certa indicia, nullas fuisse Confessiones factas, praecipue si poenitens per aliquod tempus non ceciderit, aut si antequam caderet, sibi aliquam vim fecerit.*

326. Quibus ex Lig. praemissis, dicimus, quod si Confessarius non percipiat ex accusatione poenitentis, quod hic sit habituatus, non tenetur inquirere, an ejus praeteritae Confessiones fuerint validae. Idque probatur 1.°, quod nisi certitudo obstet, *semper praesumitur factum, quod de jure faciendum erat*; quodque *standum pro valore actus, donec constet de ejus nullitate.* Quare, ut cum Nav. docet Lig. l. c.: *Praesumptio pro actus valore praeponderat aliis.* Cum autem poenitens non deprehenditur habituatus, nullum praebet certum fundamentum judicandi de praeteritarum Confessionum nullitate: ergo. . 2.° ex illa juris reg.: *Ea, quae raro accidunt, nonnisi temere in agendis negotiis computantur* (*Reg.* 28. *in* 6.). Cui et consonat *reg.* 74. Raro autem accidit, quod is, qui in peccatis non est habituatus, cito a Confessione facta, et sine aliqua resistentia in illa reinciderit, ideoque ex dictis n.° ant. teneatur ad praeteritas Con-

fessiones revalidandas per Confessionem generalem: ergo.. 3.° quia certum est, ut sapienter scribit Lacroixius, Christum ita instituisse Sacramenta, ut noluerit eorum administrationem, aut susceptionem esse moraliter impossibilem, et odiosam fidelibus ministraturis, aut suscepturis; ex quo sequitur, quod administratio, aut susceptio nimiis scrupulis, aut difficultatibus obnoxia non est profecto secundum Christi institutionem. Nemo autem non videt, quod si Confessariis obligatio inesset quoscumque poenitentes interrogandi super praeteritis confessionibus, redderetur et administratio, et susceptio Sacramenti Poenit. innumeris scrupulis, et difficultatibus obnoxia, utque illud Haeretici appellant, *conscientiarum carnificina*; tenerentur enim Confessarii, quoties aliquis prima vice ad eos accederet, ad evolvendas omnes ejus anteactas Confessiones, et vicissim poenitentes ad respondendum Confessariis, quoties ad eos prima vice accederent, quomodo post praeteritas Confessiones se gesserint, et an post quamcumque Confessionem dignos poenitentiae fructus fecerint; quod quis non videt quot scrupulis, et difficultatibus sit obnoxium? 4.° quia poenitens non habens ullius peccati consuetudinem, ac nolens Confessario respondere super suis anteactis Confessionibus, non ideo posset ob id solum absque absolutione dimitti. Porro ob id solum dimitttendus esset absque absolutione, si Confessariis inesset praefata obligatio: ergo.. Quibus demum perpensis, quae efficax ratio ad imponendum Confessariis hujusmodi onus afferri poterit? Haec porro afferri deberet, et quidem perquam efficax ob gra-

vitatem oneris; maxime cum agatur de re, quae ad valorem Sacramenti non pertinet; utque ait Croix l. 6. 1754., *stat possessio pro priori Confessario, quod officium suum bene fecerit, nec delicta praesumuntur.*

327. Cum autem poenitens indiget Confessione generali, habeatur prae oculis (ut et caeterum in quibuscumque Confessionibus). 1.°, quod dum agatur de rusticis, regulariter non sunt dimittendi, ut se examinent, et redeant, *quia numquam melius se examinabunt, nec poterunt ita bene se accusare de peccatis, quam si a Confessario mediocri diligentia interrogentur, tametsi indigeant Confessione generali, ac statim de tota vita examinari, et audiri debeant.* Ita Lugo *De Sacr. Poen. Disp.* 18. *sect.* 14. §. 4. Hinc docet Lig. n. 607., perperam eos agere, qui rudes dimittunt, ut melius se examinent, idque merito Segnerium vocare intolerabilem errorem; licet namque dimittantur, ut se melius praeparent, vix paratiores umquam redibunt; simulque absterriti a difficultate se examinandi, de facili a Confessione se retrahent. 2.° non esse necessarium in Confessione generali nova ab antiquis secernere, nisi vel circumstantia aliqua speciem mutans, vel proxima peccandi occasio, vel reservatio casus ad exprimendum obliget, peccatum post ultimam Confessionem commissum fuisse. 3.° certo non esse necessarium, ut apposite Pav. in opere, cui titulus: *Il Battesimo laborioso t. 2. app. q. 7. n. 27.*, quod Confessarius *nell' udire il numero de' peccati commessi ogni giorno, ogni settimana, ogni mese faccia il conto, quanta ne sia la somma totale.*

Basta, che il Confessore ha udito ciò, e dee passare avanti, senza che vada fra se stesso dicendo: cinque volte il giorno per es. a capo del mese sono 150.; *a capo dell'anno* 1800.; *a capo di tanti anni etc. È cosa ridicola al sol pensarvi.* 4.° pariter non esse necessarium de singulis auditis determinare, an sit venialia vel mortalia quum (ut ait Sylvester V. *Sacerdos*) *non sunt clara, ut de his, de quibus sunt opiniones, vel poenitens nescit exprimere mentem suam circa assensum, vel moram peccati, quia id Sacerdos tenetur determinare de claris.* Cui consonans Abelly, *quaeret aliquis* (ait), *an Confessarius teneatur audito quolibet peccato apud se determinare, an sit veniale, vel mortale? Resp.*, *non teneri, sed satis esse, ut intelligat, peccatum esse commissum, quod ex genere suo est mortale, vel veniale, quamvis in particulari dijudicare non possit certo, an sit mortale, vel veniale.* Quod et docet Lig. n. 627. 5.° quod Confessarius potest de se loquendo praesumere, quod poenitens apprehenderit objectum, sicuti secundum se malum est, nec proinde opus est interrogare, qua mente, vel cum qua conscientia fecerit, nisi ex circumstantiis personae aliud prudenter sit praesumendum; ut si homo alias innocens (ait Croix) dicat, se habuisse delectionem in venerea cogitatione, est interrogandus, an voluntarie, an malitiam advertens (l. c. n. 1751.). *Alcuni Confessori* (ita quoque Pav. l. c. n. 22.) *prolungano oltremodo le Confessioni generali, perchè quasi ad ogni peccato, di cui si accusa il penitente, lo domandano, se lo stimava peccato mor-*

tale, o veniale. È questa una pessima condotta. I peccati per ordinario si debbon prendere, come sono in se stessi; e la detta domanda si deve fare nel solo caso, in cui accusandosi colui di cosa in se veniale, se ne accusa col dimostrarne tanto orrore, che fa prudentemente sospettare, ch' egli per coscienza erronea l' abbia giudicata cosa grave. Circa poi le colpe in se mortali, allora si dee fare la riferita domanda, quando o si sa, ch' è cosa, la quale per i pregiudizj, che regnano, si suol tenere per leggiera, o pure argomenta ciò il Confessore dalle parole del penitente. 6.° quod dum Confessarius vult poenitentiam imponere, non est opus, quod distinctam habeat memoriam omnium auditorum, sed sufficit confusa notitia status poenitentis, quae in hoc consistit, ut saltem recordetur, plura diversae speciei mortalia esse dicta, eaque in numero satis frequenti. Quod si jam imposuerit poenitentiam, necesse non est, ut quando absolvit, etiam confuse recordetur peccatorum, vel poenitentiae impositae, sed satis est recordari esse confessum, et latum de eo judicium; status enim poenitentis erat recolendus tantum in ordine ad formandum de eo judicium, et ad taxandam poenitentiam, quod jam factum est; nec Confessarius absolvit a peccatis distributive sumptis, sed collective ab omnibus.

328. Tenetur item Confessarius, ut D. Th. docet; *perscrutari conscientiam poenitentis, quasi Medicus vulnus, quia frequenter quae prae confusione confitens taceret, interrogatus revelat. In his autem interrogationibus faciendis tria sunt attendenda:* 1.° *ut quilibet peccator in-*

terrogetur de peccatis, quae consueverunt in hominibus illius conditionis abundare. 2.°, *ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis, quae omnibus manifesta sunt; de aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet a longinquo fieri interrogatio, ut si commisit, dicat, si non admisit, non addiscat.* 3.°, *ut de peccatis praecipue carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias* (*In* 4. *Sent. dist.* 19.). Non tenetur tamen ex communi DD., poenitentem examinare exquisita industria, et minutissimo examine, sed suavi, et humano modo, ac statui similium personarum proportionato, quia ipse poenitens, qui primario ad hoc obligatur, non tenetur, nisi moralem diligentiam statui suo, aliisque circumstantiis accommodatam in examine conscientiae faciendo praemittere: ex quo sequitur, quod eo minus tenebitur Confessarius ad exquisitissimas interrogationes, utpote qui facere eas tenetur dumtaxat in supplementum. Addit Lugo 1.°, quod *non est solum attendendum ad exactam, et integram Confessionem peccatorum, sed et maxime attendendum ad conditionem humanam, et ne ex nimiis interrogationibus Sacramentum reddatur grave etc.*: quae Lugonis verba repetit Anacl. de Sacr. Dist. 8. q. 3. . 2.° quod *Confessarius non tenetur exactius interrogare, quam poenitens teneatur se examinare*: quae Lugonis verba repetit Lacroix., et Mazz., iisque similia habet quoque Segnerius *in opusc.*, *cui tit. Il Conf. istr.* c. 2., ubi: *Quando venga a confessarsi qualche persona negligente, non è tenuto il Confessore ad esaminarla a più alto segno di quello, che sarebbe tenuta ella stessa,*

se si esaminasse da se con applicazione ; e così non sarà di necessità di farle quelle interrogazioni , ch' Ella medesima non avrebbe mai fatte alla sua coscienza , ben ricercandone i seni , e i nascondigli secondo la sua capacità naturale. 3.° quod *discrete interrogandum est , non quidquid possibile , sed quod probabile est , poenitentem fecisse , nec non convenienter ad cujusque conditionem.* Quae omnia diversis verbis docet quoque Lig. *n.* 607. , *et in praxi Conf. n.* 20. Quamvis autem Lacroix. doceat *de Sacr. Poen. n.* 1747. , quod *Religiosi , Clerici , aliique praecipue in Theologia versati non sunt facile interrogandi , nisi manifestum sit omitti , vel non satis discerni aliquid necessarium* , id tamen non omnino probat Lig. ; docet enim *in praxi Conf. n.* 48. , *et sequ.* , quod si poenitens , quisquis ille sit, etiamque Episcopus, videatur conscientiae parum meticulosae , aut Confessarius alinnde habeat rationabilem suspicionem , quod ille suis obligationibus desit , oportet , ut ipsum interroget saltem circa ejus obligationes principaliores.

329. Praedicta autem sobrietas in interrogando servanda est praecipue in materia luxuriae , in qua communis TT. docet , cautissime esse procedendum , et non multiplicandas interrogationes ; tum ne forte ex iis poenitens male discat, quae bene ignorabat; tum ut pudori consulatur : tum denique ad cavendum , ne tum ex parte poenitentis , quam Confessarii se illecebra insinuet: ob quae omnia praestat aliquando Sacerdotem minus perfecte peccatum intelligere , quam vel poenitenti , vel sibi aliquod scandalum creare. Numquam proinde Confessarius aperte quaerat a ju-

vene, num se contaminaverit hac, vel illa luxuriae specie, sed an malas res fecerit, vel de iis locutus fuerit, earumve cogitationibus fuerit immoratus: a pueris vero, ac puellis, an jocati fuerint cum aliis, ac jocos illos clam exercuerint: ad quae poenitens respondendo, se horum non esse conscium, ultra non progrediatur; respondendo in iis deliquisse, pergat quaerendo quid, ac quomodo; atque ex ejus responsis percipiat, si reus sit, necne mollitiei, sodomiae, etc. Caveat tamen, ut advertit Lig. in pr. Conf. n. 90., ab exquirendo a puellis, vel pueris, an adfuerit seminis effusio, ne apprehendant, quae nondum noverint, vel ponantur in curiositate addiscendi. Utque addit B. Leon. a Portu Maur., *non omnes mulieres, ut fatentur periti, hanc patiuntur miseriam, saltem ita sensibilem, ut ab ipsis possit agnosci.*

330. Praecipua tamen Confessarii cura esse debet, ut praecipit Rit. Rom., quod *audita Confessione ad peccatorum dolorem efficacibus verbis poenitentem adducere conetur*; ad quod obligatur tum, ut docet Lig. n. 608., *ex rigorosa obligatione charitatis*, tum ne Sacramentum nullitatis periculo exponat. Id porro efficiendum est suggerendo illi prius attritionis, deinde contritionis motiva sequenti, vel simili modo: *Heu, fili, ubinam esses, si post peccatum morte correptus fuisses? Esses modo in Inferno, ubi per totam aeternitatem, cujus nullus est finis, ardere, et desperari deberes, absque eo quod tuae horrendae perniciei ullatenus mederi amplius posses! Vide, fili, quam grave malum commisisti, Deum peccatis tuis offendendo! Te ergo poenitet modo illum offendisse? Sed et mere-*

batur Deus a te offendi? Ipse est totius Mundi Dominus, et Majestas infinita, quae uno nutu Coelum, ac Terram creavit; coram quo idcirco quid nos sumus, nisi viles vermiculi? Itemque infinite Sanctus, infinite sapiens, infinite dives, infinite pulcher, infinite bonus: hancque suam bonitatem quot, ac quantis argumentis tibi ostendit? Ipse te creavit, innumerisque cumulavit beneficiis; inter quae cum te potuerit in Infernum post primum peccatum mergere, cumque ad id faciendum tu illum fere coegeris iterando, ac reiterando peccata, aliam de tot offensis ultionem non sumpsit, quam incolumem, et sanum te servando; dumque tu illum offendisti, ipse te amavit. Itemque, ut te ab Inferno liberaret, ac tibi ostenderet sui erga te dilectionem, hominem se fecit, pauperem, ac moerentem vitam egit, ac demum acerbissimos inter cruciatus illam in Cruce profudit. Vide, fili, quam te amavit magnus iste Dominus, absque eo quod ullatenus tui egeret; et consequenter, quam bonus sit! Animusque tibi suffecit illum offendendi, ejus leges conculcando, ac postponendo ejus gratiam, et amicitiam vilibus tuis, transeuntibusque satisfactionibus? Eja saltem te poeniteat, tam grave malum fecisse? Dic ergo mecum: o Deus infinite bone etc.

331. Servandi demum sub inviolabili secreto ea omnia, quae in Confessione Sacramentali audita fuerint, vel redderent Confessionem quomodocumque odiosam, est et haec gravissima Confessarii obligatio: eaque de jure et naturali, et Divino, et Ecclesiastico. *De jure naturali*, hoc namque prohibet prodere secretum vel naturale, vel commissum, vel promissum,

sub quo triplici secreto cadit poenitentis accusatio. *De jure Divino*, quia enim si aliquando liceret Sacerdoti revelare peccatum in Confessione auditum, enervaretur praeceptum Divinum de Confessione facienda, cum nemo esset, qui peccatum occultum propriae famae denigrativum Sacerdoti detegeret; eodem jure proinde dicenda est vetita Confessionis revelatio, quo jure praecipitur ipsa Confessio. *De jure Ecclesiastico*, ut patet ex *C. Omnis utriusque sexus.* Est autem hujusmodi obligatio, ut innuimus, inviolabilis, in casu scilicet etiam periculi vitae, vel gravissimi damni Reipublicae; nullum namque damnum tam grave dari potest, quod praeponderet damno, quod ex violatione Sacramentalis sigilli in universam Ecclesiam redundaret, retrahendo fideles ab hoc Sacramento, et tollendo medium adeo ex Dei praecepto necessarium ad eorum cum ejus Majestate reconciliationem: utque etiam innuimus, nedum extenditur ad omnia omnino, quae fuerint Sacramentaliter deposita, in ordine scilicet ad Sacramentalem absolutionem, sed et ad ea, quae Confessionem redderent vel levissime odiosam, ideoque ad omnia peccata sive gravia, sive levia cum omnibus suis circumstantiis; ad omnes defectus sive morales, sive naturales poenitentes, ad poenitentiam illi impositam: quae omnia vel directe, vel indirecte, facto scilicet, vel signo aliquo detegere triplex esset ex Lig. n. 635. gravissimum peccatum, *sacrilegii* contra Sacramentum, *infidelitatis gravis* ob tacitam promissionem secretum servandi, et *detractionis*, si peccatum non sit publicum. Nec solum hujusmodi obligatio afficit Confes-

sarium, sed et Superiorem, a quo postulatur facultas absolvendi a reservatis; Doctorem, qui fuerit consultus; omnesque etiam, qui vel culpabiliter, vel inculpabiliter aliquid audierint; tum quia secus crearetur Sacramento odium; tum quia res ad quoscumque pervenit, cum suo onere pervenit.

332. Quibus quoad sigillum praestabit sequentia ex Lig. adjicere: 1.°, quod virtutes, et dona supernaturalia cadunt sub sigillo, si in Confessione fuerint delata accusandi causa vel aliquem defectum, vel propriam ingratitudinem erga Deum; secus, si ad hoc, ut status animae Confessario innotesceret (n. 641.). 2.° quod detegere quidem aliquod etsi minimum veniale in particulari esset grave peccatum violationis sigilli, non tamen si Confessarius diceret, poenitentem detulisse materiam venialem, quia nemo esse potest cujusvis prorsus venialis expers absque speciali privilegio, quod de sola B. V. tenet Ecclesia (n. 640.). 3.° quod extra Confessionem non licet quidem Confessario cum ipso poenitente agere de rebus in Confessione auditis absque formali, et expressa ejus licentia saltem facto, ut si poenitens extra Confessionem suscipiat loqui cum Confessario de dictis in Confessione: bene tamen id ei licet intra Confessionem, quia saepe pertinet ad munus Judicis, et Medici praeteritarum Confessionum peccata recolere ad melius poenitentem corripiendum, et dirigendum: eamque moraliter perseverare etiam statim post absolutionem, antequam poenitens discedat, quia licet Sacramentum sit completum, judicium tamen adhuc moraliter perseverat (n. 651., 652., et 653.). 4.° quod si circa Confessionis initium adver-

tat Confessarius poenitentis surditatem, illam circumstantibus patefacere potest, si communiter sit patens, imponens simul poenitenti, ut redeat alio tempore, et loco opportuno. Si vero id advertat in Confessionis progressu, nequit illi alta voce imponere, ut redeat, quia magna daretur circumstantibus suspicio, quod materiam gravem detulerit; sed auditis peccatis meliori modo, quo possit, absolvat absolute, si poenitens probabiliter censeatur dispositus; sub conditione, si de dispositione dubitetur: quo in casu ad Communionem tamen admitti non posse, perspicuum est. 5.° licitum esse Confessariis in concionibus generatim invehere in vitia, quae occulte grassantur, ut expresse permittitur in *C. Si Sacerdos* 2. *de offic. Jud. ord.*, ubi: *Si Sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fuerit. . non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate.* Idest *in genere* (n.654.). 6.° prae oculis habendam prop. ab Innoc. XI. proscriptam: *Scientia ex Confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Numquam proinde licet quilibet notitiae Confessionis usus, ex quo sequatur vel etiam indirecta revelatio notitiae in Confessione habitae, vel qualecumque poenitentis gravamen; primum namque panderet Sacramenti arcanum, alterum redderet Confessionem odiosam (n.657., et sequ.). 7.° in hac materia licitum non esse uti opinionibus, ex quarum usu certum moraliter non sit, nec directe, vel indirecte aliquid revelari, nec ullum poeni-

tenti gravamen inferri, quia non licet uti opinione probabili in praejudicium juris certi, quod alter possidet; certumque jus possidet poenitens ne directe, vel indirecte detegatur quidquid confessus fuerit, et ne occasione suae Confessionis ullum patiatur gravamen. Ob quod tamen obligatur Confessarius, ne praebeat suspiciones probabiles de peccatis auditis, non vero, ut leves omnes conjecturas caveat, quas facile malitiosi faciunt (n. 633., et 661.).

Appendix.

De Confessariis sollicitantibus.

333. Denunciandos hos esse locorum Ordinariis, decrevit 1.° Paulus V. *Decr. sub die* 29. *Jul.* 1614.; postmodum vero Greg. XV. speciali Const. 1622.; ac demum alia, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae* Ben. XIV.: circa quod scitu necessaria sunt, Leg. duce, 1.° solam sollicitationem ad turpia contra 6. praec., ac solum in Sacr. Poenitentiae subjacere denunciationis oneri (n. 684.); sive caeterum persona sollicitata sit mas, sive foemina, cum lex non distinguat. 2.° denunciandos esse locorum Ordinariis Confessarios, ipsosque Sacerdotes simplices in Confessione sollicitantes ex verbis Ben. *etiamsi jurisdictione careat*; Romano Pontifici vero, si qui sollicitaverit, sit Episcopus, hos enim quoque sollicitantes in Confessione denunciandos esse, probant ipsius Ben. verba *cujuscumque dignitatis, et praeminentiae*: Laicos vero denunciandos esse ex Edicto S. Inquis.

Gen., tamquam de haeresi suspectos (n. 685., et 688.). 3.° praefatos omnes denunciandos esse *ex laud. Const.*, si sollicitaverint *in actu Sacramentalis Confessionis, etiam Confessione non secuta; sive ante, sive post immediate*: quod stricte quidem accipiendum est, ita ut evenerit sollicitatio ante, vel post Confessionem, quin alia actio intercesserit; sed comprehendit quoque Confessarium, qui mulieri imponat, ut expectet eum domi, vel interroget, ubi habitet, et ex circumstantiis cognoscatur, id fecisse ad sollicitandum; vel illi dicat *expecta me paulisper*, et post aliquod intervallum ad eam profectus sollicitet, etiamsi habuerit prius de alio serio negotio tractatum, cum hic in tali casu prudenter fictus praesumatur; sicut etiam si statim post Confessionem ducat puerum ad cubiculum, et sollicitet (n. 676., et 677.). *Vel occasione Confessionis*; quod habetur, dum Confessarius rogatus ad Confessionem, quamvis alio die excipiendam, sollicitat; vel ex auditis in Confessione motivum sumit sollicitandi. *Aut praetextu Confessionis*; quod habetur, dum Confessarius ad sollicitandum fictam Confessionem proponit: ex quo sequitur, denunciandum non esse Confessarium, qui Confessionis praetextu obtinuerit a Superiore facultatem adeundi mulierem, eamque, nulla facta mentione Confessionis, sollicitaverit, cum in hoc casu praetextus Confessionis non fuerit *ad sollicitandum, sed ad Superiorem decipiendum*: ac probabilius neque etiam, qui cum jam, nulla Confessionis mentione facta, convenerit cum foemina de peccato, convenerit postea cum eadem ad illud exequendum, ut ad eludendos

domesticos se finxisset aegrotam, eumque accersisset domum sub Confessionis praetextu; cum etiam in tali casu praetextus Confessionis non fuerit *ad sollicitandum*, idem enim est sollicitatio ad malum, ac postulatio consensus ad malum, jamque ante praetextum Confessionis ad malum mulier consenserat, sed *ad eludendos Domestivos*; nec praetextus Confessionis dicat ordinem *ad sollicitationem*, *sed ad executionem peccati.* Bene tamen denunciandus esset Confessarius, qui extra Confessionem sollicitaret, et renuente foemina ob timorem diffamationis, ei proponeret, ut simulans se aegrotam, eum accerseret ad peccandum, cum bene in hoc casu verificaretur, quod praetextu Confessionis sollicitaret, quia sub tali praetextu postularet consensum ad malum (n. 678., et 679.). *Sive extra Confessionis occasionem in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessionem audire*; denunciandus namque est qui sollicitet *in Confessionario*, etsi absque Confessionis simulatione; qui vero *in loco*, *ubi etc.*, si adfuerit simul simulatio Confessionis; Decreto enim Pauli V., quo imponebatur obligatio denunciandi *Confessarios tractantes cum mulieribus in Confessionali extra occasionem Confessionis de rebus inhonestis*, absque mentione simulationis Confessionis, dicendum non est derogatum fuisse per Bullam Greg. XV., sed tantum hac fuisse impositam obligationem denunciandi Confessarios quoque agentes de turpibus *in loco quocumque*, *ubi etc.*, quia tunc leges anteriores per posteriores abrogantur, cum hae prioribus sunt contrariae

(n. 680.). *Aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint*; quos etiam proinde denunciandos esse, etsi non sollicitaverint, procul dubio est, quia distincte jubetur.

334. Denunciandum tamen non esse Confessarium, qui provocatus in Confessione, mulieri sollicitanti consenserit, censet B. Lig.: 1.° quia ex Bulla Greg. mandatur Confessariis, ut moneant de obligatione denunciationis poenitentes, *quos noverint fuisse a Confessariis sollicitatos*: nec dici potest, Confessarium sollicitasse, cum ipse sollicitatus ad malum consenserit. 2.° quia Const. verba, utpote stricte intelligenda ex *c. olim* 6. *de verb. sign.*, ubi dicitur, quod *odia restringi convenit*, intelligenda non sunt, nisi de tractatibus turpibus, quorum Confessarius sit auctor. 3.° quia recte praesumitur, noluisse Pontificem obligare poenitentes ad denunciandos Confessarios, quos ipsi tentaverint, ob gravem difficultatem, quae a denunciando in tali casu poenitentes deterruisset. Nec obstant Ben. verba, denunciationem esse faciendam, etiamsi sollicitatio *inter Confessarium, et poenitentem mutua fuerit.* Locum namque habet sollicitatio mutua, cum Confessarius sollicitatus a poenitente ad unam turpitudinis speciem, ad aliam mulierem sollicitat; vel cum a poenitente sollicitatus prius dissentit, vel sermonem divertit, et deinde post aliquod intervallum illam sollicitat; in quibus casibus scripserant *Castrop.*, *Peyrin*, *et Acunna* non adesse obligationem denunciandi. Id autem Ben. damnavit, quia in utroque casu habetur, quod mulier fuit sollicitata, quodque Confessarius sollicitavit; quod non

habetur, cum Confessarius simpliciter sollicitationi consentit. Quandonam vero Confessarii consensio dicenda sit simplex consensio, et quando etiam mutua sollicitatio, dijudicandum est ex circumstantiis sermonis, et tractatus inter utrumque (n. 681.).

335. Nequit ergo Confessarius poenitentem sollicitatum absolvere, *nisi*, ut ait Ben., *prius denunciet*, *vel id saltem promittat*, *cum primum poterit*; bene enim potest illum absolvere, si pro tunc sit impeditus, et firmum habeat propositum denunciandi, cum commode poterit, idque si nec pro tunc, nec successive per se, saltem per epistolam, vel internuncium, vel monendo Judicem, ut mittat Notarium ad illam excipiendam, omnino enim ad id tenetur, modo absit periculum propriae infamiae: ac si nullatenus ad id induci possit, potest tantum Confessarius, suspendendo interim absolutionem, ad Sedem Apostolicam recurrere; quam constat aliquo casu rescripsisse, quod pro ea vice absolvatur citra onus denunciandi. Numquam tamen Confessarius potest non imponere poenitenti sollicitato onus denunciationis, quamvis praevideat, poenitentem illam non impleturum, tum quia agitur de damno communi vitando, ex dictis l. 2. n. 61.; tum quia Confessario directe injuncta est obligatio monendi, nec secus, vel si poenitens renuat, facultas ei indulgetur illum absolvendi (n. 694.) Atque hic advertatur ex Lig. n. 699., numquam, nisi in aliquo casu raro, expedire, quod Confessarius in se assumat hoc onus deferendi denunciationem vice poenitentis, vel eam excipiendi, quia non paucis detractionibus, et periculis exponeretur; eoque minus ad

id teneri: donec enim constet de opposito, non recedendum a communi DD. sententia, et ab universali sensu, ac usu omnium Confessariorum, qui hanc onerosissimam obligationem non agnoscunt, praeterquam in casu, qui raro accidet, si alicubi publicum immineret damnum, nec alia pateret via ad illud vitandum, in quo casu posset Confessarius obligari ex lege charitatis ad tale onus suscipiendum. Immo etiam quoad casus reservatos, a quibus Confessarius facultatem non habeat absolvendi, aliquando quidem expedit, quod ipse Confessarius cum poenitentis venia, et postquam illum de gravitate, et reservatione criminum certiorem fecerit, petat a Superiore facultatem illum absolvendi; quando scilicet in longa Confessione aliquod hujusmodi criminum occurrat, ne illa ex integro repetenda sit, et quando poenitens difficulter Superiorem adiret, ne diu absolutionis beneficio careat: *ordinarie tamen loquendo* (ait. Lig. n. 584.), *consultum est, ut Confessarius a subeundo tali onere se abstineat.* Ad propositum autem redeuntes, ipse etiam Confessarius, qui vel correctione emendaretur, vel jam sit emendatus, denunciandus est: quod enim magis, quam emendationem, voluerit Pontifex ejus punitionem, ex eo patet, quod denunciationem sancivit fieri, nulla correctione fraterna praemissa, quae utique praemittenda esset, si emendatio, et non punitio rei principaliter intenderetur. Multo minus excusat, quod sollicitatio fuerit a longo tempore, ex Const. Ben.; vel quod crimen probari nequeat, ex prop. 5. proscripta ab Alex. VII,; vel quod sit occultum, ex qua interpretatione lex inuti-

lis redderetur (n. 695., et 696.). Poenitens autem denunciare omittens intra mensem peccat graviter, et incidit in excommunicationem; quam tamen reservatam non esse, ideoque ab ea etiam simplicem Confessarium posse absolvere, facta denunciatione, censet Lig. satis probabile num. 693. ex duobus Edictis S. Inqu. Generalis. Inhabilitas vero ad celebrandum inflicta Confessariis sollicitantibus non incurritur ex eodem Lig. n. 705., nisi post sententiam criminis declaratoriam, cum aequivaleat poenis privantibus jure acquisito: de quo subinde prodiit quoque *die* 10. *Febr.* 1785. Responsum quoddam S. Poenit. ap. *Pav. Luce etc. n.* 182., eam nempe esse tantum *ferendae* sententiae. In dubiis demum, si verba de se praeseferant sollicitationem, et solum dubitetur, an Confessarius ad malum finem ea protulerit, facienda est denunciatio, quia praesumptio sumitur ex communiter contingentibus. Si vero verba, vel facta sint ambigua, non est Confessarius denunciandus, nisi de ejus pravo affectu moralis habeatur certitudo; tum quia *in poenis benignior est interpretatio facienda*, ex reg. Jur. 49. in 6.; tum quia in dubio nemo privandus est fama, quam possidet; tum quia crimen dubium non est crimen. Denunciandus tamen esset ex Lig. n. 704., si poenitenti diceret: *Tecum nuberem, si essem saecularis*, cum verba hujusmodi sint maxime excitativa ad venerem; cumque sint ad Confessionem impertinentia, merito sapiunt sollicitationem. Uti etiam: *Haec tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem involuntariam*; eoque magis dicendo *voluntariam*. Uti etiam, si mulieri Confessionem petenti,

Nolo (ei diceret) *te audire in Confessione, ne aliquid mihi contingat, quia amore tui captus sum*: vel *totum me commovere sentio ex affectu, quo te prosequor*; talia enim proferret occasione Confessionis, quae simul esse provocativa ad venerem, nemo est, qui non videat. Ex quibus, quomodo similes casus resolvendi sint, satis colligitur.

TRACTATUS VI.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

CAPUT UNICUM.

De institutione et veritate hujus Sacramenti; nec non hujus effectibus, materia, forma, Ministro, subjecto, et necessitate.

336. Et 1.° definitur *Sacramentum a Christo institutum ad conferendam aegroto de vita periclitanti gratiam ad perferendos dolores, resistendum tentationibus, peccati reliquias abstergendas, atque etiam salutem corporis, si expediat, obtinendam, per unctionem olei benedicti, et orationem Sacerdotis.* Fuit porro, ut ait Trid. *sess.* 14. *de ext. unct. c.* 1., *apud Marcum insinuatum*, idest adumbratum, ubi dicitur c. 6. de Apost., quod ungebant *oleo multos aegros, et sanabant*: quia enim Sacramenta *primo*, et *per se* instituta sunt ad animae sanctificationem, Sacramentum proinde, de quo hic sermo, cum praefata unctione, quae ad unam tantum sanitatem corporis re-

ferebatur, confundendum non est; sed fuit a Christo institutum post suam Resurrectionem, ex dictis n. 14., et promulgatum per D. Jac. illis verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei* (quia nempe oratio hujusmodi fit nomine Ecclesiae, quae fide adunatur, ex fide vivit, per fidem orat, fideique depositum custodit, et finem reportat) *salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei* (c.6.). Ex quibus verbis probatur 1.° esse Sacramentum: nam si in eo habetur ritus sensibilis, gratiae per illum collatio, et Christi institutio, habetur quoque in eo omnis Sacramenti ratio, ideoque dicendum est Sacramentum. Habetur autem in eo *ritus sensibilis*, scilicet olei unctio simul cum forma deprecatoria, quam Sacerdos profert. *Gratiae per illum collatio*; dicitur namque in praefatis Jac. verbis, quod si infirmus *in peccatis sit*, per hujusmodi ritum *remittentur ei*; quae non remitti, nisi per infusionem gratiae, diximus n. 219., et l. 2. n. 37. *Christi institutio*; non enim Jacobus adeo constanter, et absolute gratiam illam promisisset, nisi id accepisset ex Christi institutione, qui solus gratiae auctor est, et collator: ergo. Sequitur 2.°, hujus Sacramenti effectus esse 1.°, ut docet Trid. l. c., *finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munire* ad perferenda morbi incommoda, ac maxime contra Inferorum tela ad nos tunc temporis *perdendos, et a fiducia Divinae Misericordiae deturbandos*: ex verbis *alleviabit eum Dominus*. 2.° peccatorum, si quae sint, tam venialium, quam lethalium remissio-

nem, ex verbis *si in peccatis sit, remittentur ei*: cum enim haec restringi nequeant ad peccata venialia, de quibus dici nequit *si in peccatis sit*, quia nemo ab iis est mundus, nec ad peccatorum reliquias, quibus etiam proculdubio omnes implicamur, sin minus illis, quae per concupiscentiae subreptionem facile contrahuntur; intelligenda proinde sunt de peccatis lethalibus, in quibus si infirmus sit, per Sacram unctionem, dicitur, remissum iri. Hinc D. Car. Borr. *in Istr. de Extr. unct.* ait, *fieri posse, eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnandus.* 3.° ex iisdem verbis, reliquias peccatorum abstergere, idest, ut scribit Tourn., *poenam temporalem, pravas dispositiones ad peccatum, animi torporem, debilitatem, atque ineptitudinem ex originali, vel actuali peccato provenientem.* 4.°, ut l. c. Trid. ait, *sanitatem corporis, ubi saluti animae expedierit, interdum* etiam conferre, ex verbis *et oratio fidei salvabit infirmum*, utpote quae alias non cohaererent cum praecedentibus *infirmatur quis in vobis?* Et quidem, ut docet D. Th. in 4. dist. 23. q. 1. a. 2., *quando expedit ad spiritualem sanationem, tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.*

337. Materiam autem hujus Sacramenti esse oleum olivarum, certum est tum ex eo quod nomine *olei* hoc proprie ex communi usu intelligitur; tum ex verbis Flor., quibus pro ejus materia assignatur *oleum olivae per Episcopum benedictum.* Ex quibus Flor. verbis, quae confirmavit Trid. *sess.* 14. *c.* 1., communior sententia docet, benedictionem Episcopi ne-

dum esse de necessitate praecepti, sed et de necessitate Sacramenti, quia Concilia in hoc dogmatice locuta sunt, nec simpliciter oleum, sed et hoc benedictum declararunt esse hujus Sacramenti materiam. Immo esse etiam de necessitate Sacramenti, quod oleum fuerit benedictum in ordine ad extremam unctionem, probabile existimat Lig. n. 709., quia sicut benedictione chrismatis deputatur hoc pro materia Confirmationis, ita benedictione olei infirmorum deputatur hoc pro materia extremae unctionis: ex quo sequitur, quod nonnisi in casu necessitatis, in quo deesset oleum infirmorum, posset ministrari Extrema unctio chrismate, vel oleo catechumenorum sub conditione; sub qua denuo repetenda esset, si inde oleum infirmorum haberi posset. Praefatam tamen benedictionem posse etiam simplici Sacerdoti a Pontifice committi, certum est ex Decr. Clem. VIII., qui declaravit Sacr. Extraemae unctionis Latinis collatum a Sacerdotibus Graecis oleo ab iisdem Sacerdotibus benedicto esse validum; quodque *non sunt cogendi Praesbyteri Graeci olea sancta, praeter chrisma, ab Episcopis latinis Dioecesanis accipere, cum ejusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, et benedicantur.* Sicut etiam certum est, non esse contra valorem materiae, quod oleo aliquantulum balsami admisceatur: ac si benedictum non sufficiat, quia infra annum defecerit, aliud consecratum, vel in necessitate non consecratum, in minori tamen quantitate, addatur (*ex Rit. Rom.*): ac demum esse solum de Ecclesiae praecepto quotannis renovari veteri exusto: quod licet

probabilius ex Lig. obliget sub gravi, ut idem tamen docet, si novum haberi non possit, bene licet uti antiquo (n. 708.).

338. Hanc porro esse materiam remotam Sacramenti, sequitur ex dictis n. 9: ejus enim materia proxima est unctio; quae licet sint plures, unum tamen est Sacramentum, quia omnes ordinantur ad unam significationem interioris medelae: ac licet fieri debeat pollice manus dexterae, lue tamen grassante, potest et fieri virga oleo tincta. An autem unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti, negat 1. sententia, tum quia D. Jac. unctionis mentionem facit, non unctionum; tum quia Ecclesia in casu necessitatis permittit, unicam unctionem fieri. Affirmat vero cum Lig. n. 710. communior, ac tutior sententia, quia sic colligitur ex usu Ecclesiae; quare pestis tempore, vel alia urgente necessitate potest quidem adhiberi una unctio in aliquo sensu, et consultius in capite, utpote e quo omnes sensus manant, ut monet Ben. XIV. *l. 7. de Syn. c.* 18., sed sub conditione, ac si aeger supervivat, repetendo unctiones in singulis sensibus, additisque orationibus omissis. Geminam tamen unctionem in geminis partibus, ut in utroque oculo etc., ut et unctionem pedum, non esse de necessitate Sacramenti, commune est apud DD.; unde si adsit infectionis periculum, vel infirmus nequeat verti ad aliud latus, sufficit ungere unum oculum, unam aurem, etc. Unctio autem renum ex Rit. *in mulieribus semper omittitur honestatis gratia, atque etiam in viris quando infirmus commode moveri nequeat.* Quae de materia sint satis.

339. Ejus vero forma sunt verba: *Per istam Sanctam unctionem, et suam piissimam Misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum* (si ungitur oculus, et sic de aliis) *deliquisti. Amen.* Cum autem in necessitatis casu una unctio adhibetur, praecipitur dicendum: *Per istam etc. indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum*; praemittendo verbum *deliquisti*, ne si aeger interim moriatur, nullum sit Sacramentum. Est autem verbum *deliquisti* cum praecedentibus *Indulgeat tibi Deus* de Sacramenti essentia, nam secus non exprimeretur per formam principalior Sacramenti effectus, quod per illud remittuntur peccata. De cujus essentia sunt quoque verba *Per istam sanctam unctionem*, id solum negantibus DD., de voce *sanctam*, cum nec in Flor., nec in Trid. addatur. Sicut etiam est de Sacr. essentia, quod forma sit deprecativa, ex Jac. verbis: *Et orent super eum. . et oratio fidei salvabit infirmum*; quodque idem Sacerdos et inungat sensum, et formam pronunciet. Ad quam recte adhibendam debet etiam cavere, ne absolvat formam, donec sensus pares inunxerit.

340. Minister autem est solus Sacerdos, ut de fide definiit Trid. *l. c. can. 4.*: 1.° enim ejus Ministri a Jac. dicuntur non simpliciter *Presbyteri*, sed *Presbyteri Ecclesiae.* 2.° per eorum ministerium remissio peccatorum promittitur, quare *ibid.* vocatur a Trid. *poenitentiae consummativum Sacramentum*: quae ambo de Presbyteris ordinatione, non vero aetate intelligi possunt, intellexitque semper, ut idem Trid. ait, *Ecclesia ex Apostolica Traditione.* Et quidem

Sacerdos proprius, idest Pastor ; sine cujus venia si extra necessitatem alius det, validum quidem est Sacram., sed Minister graviter peccat. Immo Regulares, nisi necessitas urgeat, absque Parochi licentia illud ministrantes, incurrunt quoque excommunicationem Papae reservatam, a qua tamen excusat ignorantia etiam crassa, ejusque reservatio est tantum generalis, ex *Clementina* 1. *de* Priv. §. 1. Exceptis caeterum suis familiaribus, quibus Regulares posse ministrare et Extremam unctionem, et Viaticum absque Parochi licentia, habetur ex Bulla *Immarcescibilem*, qua S. Pius V. concessit Theatinis, et per communicationem caeteris Regularibus *conferre Extremam unctionem non solum Fratribus, et Clericis ipsius Congr., sed etiam mercenariis, operariis, servis, ac famulis ejusdem Congreg., ac quibusvis hospitibus, etiam saecularibus, et extraneis, quos in locis, vel habitationibus dictae Cong. tunc reperiri contigerit in mortis articulo, et quoties de illo dubitari contigerit, etiam licentia minime petita, nec obtenta Parochorum.* In necessitate vero quivis Sacerdos non excommunicatus, nec suspensus, illud ministrare potest ; et ex communi tenetur etiam sub mortali, si infirmus sine omnibus Sacramentis esset moriturus, quia nullum aliud suscipere posset ; secus ex Lig. n. 729. sub veniali, si licite, et facile possit. Curatus tamen mortaliter peccat, si petentem negligat inungere, vel differat cum probabili periculo, quod sine unctione moriatur, quia in re gravi non praestat id, ad quod ex justitia tenetur. At simul regulariter ad id non tenetur ex Lig. l. c. cum vitae periculo, nisi infirmus a

longo tempore sit confessus, et verisimiliter censeatur esse in mortali: ipseque, idest Curatus, ex eod. Lig. num. 723., si solum suspensus, probabiliter potest quoque illud ministrare, si alius desit; non tamen, ut probabilius censet, si excommunicatus (at etiam in hoc casu exciperem, si infirmus sine omnibus Sacramentis esset moriturus; idque, etsi Sacerdos suspensus, sive excommunicatus sit, necne Curatus). Quod demum unus Sacerdos sufficiat, definiit Alex. III.: ac Jacobi vocem *Presbyteros* significare docent TT. aliquem ex Presbyteris; in quo sensu etiam Christus ait decem leprosis: *Ostendite vos Sacerdotibus*, idest alicui ex Sacerdotibus, nam satis erat, si leprosus uni Sacerdoti se ostenderet, ut constat ex c. 14. Lev., ubi sic: *Adducetur leprosus ad Sacerdotem.*

341. *Subjectum* vero *hujus Sacramenti esse infirmum, de cujus morte timetur*, declaravit Florent., ac deinde etiam Trid., ubi ait: *Hanc unctionem infirmis adhibendam, iis praesertim, qui in exitu vitae constituti videantur*: at nonnisi semel in eadem quantumvis longa infirmitate, praeterquam si infirmus *convaluerit, et in aliud simile vitae discrimen inciderit* (*sess.* 14. c. 3.), in quo casu potest, et debet iterari. Subdit tamen Lig. n. 715., idque et docet Ben. XIV. *l.* 7. *de Syn. c.* 23., quod si dubitetur, non quidem negative, sed positive, ita ut probabile sit, infirmum exiisse a priori periculo, debet Sacerdos propendere ad Sacramenti iterationem, cum haec sit uniformior veteri Ecclesiae consuetudini: quodque id probabiliter censetur, quando infirmus melius se ha-

buerit, fueritque visus mortis periculum evasisse per tempus notabile, puta per mensem, bene enim tunc verificatur, quod *convaluerit, et in aliud ec.*, non vero si tantum per 4., vel 5. dies, non enim tunc haberetur nova aegritudo, novumque periculum. Hinc autem sequitur 1.°, ministrandum esse hoc Sacramentum iis, qui versantur in mortis periculo sive ex morbo, sive ex partu, vulnere, vel senectute, cum semper verificetur, ministrari infirmis; non vero iis, qui poena capitali plectendi sint, cum non sint infirmi. 2.° expectandum non esse ultimum vitae tempus, sed posse illud ministrari statim ac aegrotus prudenter judicetur laborare mortis periculo, etsi adhuc non proximae. Qua super re docet quoque Catech. Rom., *gravissime Parochos peccare, qui illud tempus aegrotos ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita, et sensibus carere incipiant*: et quia sic, ut Lig. disserit n. 714., privatur infirmus uberiori fructu, quem recepisset suscipiendo Sacramentum, dum erat rationis compos: et quia privatur spiritualibus auxiliis ad resistendum tentationibus, ac perferenda morbi incommoda: *et quia si existens forte in mortali, et compos sui Sacramentum suscepisset, gratiam forte auxilio attritionis adeptus fuisset, qua alioquin privatur*: et quia demum suscipiendo Sacramentum tempore congruo, consecutus forte fuisset virtute illius corporis sanitatem, quam deinde non consequitur, quippe quod hoc Sacramentum, licet virtute quadam supernaturali operetur etiam salutem corporalem, si animae saluti expediat, non tamen per modum miraculi operatur, sed via quodammodo or-

dinaria, causas nempe naturales adjuvando. Approbat proinde *ibid.* Castrop. sententiam, quod dum *Viaticum infirmo ministratur, statim et ministrari unctio ei potest, et expedit, quia jam censetur infirmitas grave periculum vitae inducere.* 3.°, quod sano, etiamque infirmo non periclitanti et illicite, et invalide hoc Sacramentum conferretur: cum enim ex Flor. subjectum hujus Sacramenti sit *infirmus, de cujus morte timetur*; utque Trid. ait, illud Christus instituerit, ut *finem vitae, tamquam firmissimo quodam praesidio, muniret*; hinc dum de morte non timeatur, et suscipiens non sit in fine vitae constitutus, neque etiam est subjectum, idest capax Sacramenti, quod proinde invalide susciperet. Praxis autem Graecorum inungendi et sanos non est, teste *Goario*, nisi pius dumtaxat ritus, Sacramentalibus similis: in quo sensu explicatur quoque Inn. I. *in ep. ad Decentium*, ipsis Laicis permittens, quod *in necessitate* possint se, vel suos infirmos *oleo ab Episcopo confecto inungere.*

342. Ministrandum tamen non est infantibus, tum ex Rit. Rom., quod ministrandum est *infirmis, qui ad usum rationis pervenerint*; tum ex ratione D. Th., quia iis *non competit forma hujus Sacramenti, eo quod non peccaverunt per visum, et auditum, ut in forma exprimitur.* Nec verum est, quod detur ad tollendas reliquias peccati originalis, sed actualium. Quod autem et detur ad augumentum gratiae, et ad recuperandam sanitatem, etiamque infantibus sub utroque respectu prodesse posset: resp. quoad 1., quod augumentum gratiae cum non detur, nisi ut conjunctum cum primario Sacramenti effectu, quum subjectum proinde non

est capax effectus primarii, neque etiam est capax gratiae augumenti. Quoad 2., quod adeptio sanitatis cum sit tantum effectus secundarius hujus Sacramenti, ipse cessat, cessante primario. Id vero, quod ferunt *Maldon., et Alap.*, quod olim infantes ungebantur oleo infirmorum, erat tantum, ut scribit Ben. XIV. l. 7. de Syn. c. 21., *benedictio quaedam Sacramentalis.* Bene tamen ministranda est pueris habentibus rationis usum, quamvis adhuc non sit capaces Eucharistiae, ut prae aliis tradit Ben. XIV. l. c., ubi dicit, minime approbandam quamdam Synodum, in qua statutum fuerat, non dandum hoc Sacramentum pueris, qui non communicarunt; adprobatque praescriptum Rit. Argentinensis, non denegandam nempe Extremam unctionem pueris septennibus, ac iis, in quibus malitia supplet aetatem, etsi ad septennium non pervenerint. Dum vero dubitetur, an rationis usum adepti fuerint, iis quoque ministranda est ex Lig. n. 719. sub conditione; quia per hanc jam salvatur reverentia Sacramento debita, et aliunde justa adest causa illud ministrandi sub conditione, ne scilicet priventur tam salutari Sacramento. Ministrandum quoque non est perpetuo amentibus ex ratione D. Th. supra allata: bene tamen iis ministrandum est ex Lig. n. 732., qui aliquando habuerint usum rationis, vel habeant interdum lucidum aliquod intervallum: ac in dubio, an umquam habuerint rationis usum, iis ministrandum est sub conditione *si capax es etc.* Ex Rit. demum *impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis penitus denegetur.*

343. Ex effectibus porro hujus Sacramenti, de quibus in initio diximus, sequitur quod Trid. ait l. c., *quod tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere* esse non potest. Quibus similia habuerat quoque Mart. V. in Const. Constantiae edita, dicens de eodem Sacramento, *neque negligi sine culpa, neque contemni posse absque peccato mortali.* Ex quibus probabiliter infertur, quod non adsit obligatio sub gravi illud suscipiendi, satis namque videtur Pontifex expressisse, quod illius contemptus gravem quidem importat culpam, negligentia vero non plusquam levem. At simul ex Lig. n. 733. probabilis quoque est sententia opposita, immo omnino suadenda, ob charitatem saltem, quam debemus nobismetipsis; cum enim in illo discrimine constituti non absque magna difficultate ad bonos actus excitare nos possimus ob virium destitutionem, ac vehementissimis simul tentationibus urgeamur, quam gravi periculo his succumbendi nos exponeremus, negligendo Sacramentum a Christo ad hoc institutum, ut extremum illud *tamquam firmissimo quodam praesidio muniret*? Certe autem infirmus graviter peccaret illud negligens suscipere, si hac agendi ratione occasionem adstantibus praeberet suspicandi, quod in fide deficiat, vel nihili illud faciat.

344. In ejus demum administratione si omittantur citra necessitatis casum orationes in Rit. praescriptae, sine dubio ex Lig. n. 726., et sequ. esset mortale; nullum vero si Psalmi Poenitentiales, et Litaniae. Sicut etiam ex eod. mortale esset illud ministrare citra necessitatis casum absque superpelliceo, et stola;

nullum vero probabiliter peccatum in casu, quo vestes deessent, et infirmus decederet sine Sacramento, quia licet hoc Sacramentum non sit necessarium, est tamen valde utile, unde non praesumitur Christus, qui illud instituit in subsidium infirmorum in ultimo agone pugnantium, voluisse eos, ne vestes omittantur, tanto bono privari. Citra quem casum necessitatis esset quoque illicitum, sed tantum leviter, illud ministrare sine lumine, vel sine Ministro, vel signum Crucis omittere inter ungendum.

TRACTATUS VII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT UNICUM.

De veritate hujus Sacramenti; numero Ordinum, eorumque Ministro, materia, et forma; aliisque demum quoad illud scitu necessariis.

345. Et 1. definitur *Sacramentum Novae Legis, quo traditur potestas consecrandi Eucharistiam, aliaque ministeria spiritualia obeundi, quae ad illam quodammodo referuntur.* Dicitur vero Ordo ab effectu, quem causat, quia nempe constituit Ecclesiae Ministros. Ordinatio tamen, seu actio illa, per quam potestas sacra tribuitur, est Sacramentum; Ordo vero Sacramenti effectus, seu potius unus ex Sacramenti effectibus; sunt enim hi 1.° gratia sanctificans; 2.° gratia Sacramentalis ad Ordinem scilicet bene

exercendum; 3.° impressio characteris. Septem autem numerantur Ordines, idest Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, et Sacerdotium: quod postremum subdividitur in Presbyteratum, et Episcopatum; ut enim inquit D. Aug. *lib. qu. in vet, et nov. Test. q.* 101.: *Quid est Episcopus, nisi primus Presbyter, hoc est Summus Sacerdos?* Cui D. Ign. M. praeiverat in ep. ad Smyrnenses: *Honora Episcopum, ut Principem Sacerdotum*: ita ut Sacerdotium comprehendat sub se, velut species subalternas, Presbyteratum, et Episcopatum. Hinc quoad nomen, ut dicitur *C. Olim* 5. *Dist.* 95., *olim idem erat Presbyter, qui et Episcopus*: quare et Ap. *ad Tim.* 3., omissis Presbyteris, de solis Episcopis, et Diaconis sermonem habet. An vero uterque sit Ordo distinctus, quamvis id neget D. Th., dicens, Episcopatum esse tantum extensionem quamdam Presbyteratus, probabilius tamen dicendum videtur cum Lig. n. 738., esse Ordinem omnino distinctum, tum quia in eo traditur specialis potestas consecrandi Ministros Eucharistiae; tum quia confertur per manuum impositionem, et per formam *Accipe Spiritum Sanctum.* Objicitur, quod si Episcopatus esset Ordo distinctus a Presbyteratu, characterem quoque imprimeret distinctum a Presbyterali; ac proinde qui consecraretur Episcopus, non accepta prius consecratione Presbyteratus, verus esset Episcopus, utpote qui characterem recepisset Episcopalem. Commune autem est, consecrari in Episcopum non posse, qui prius Presbyter non fuerit ordinatus: ergo. Sed resp. *neg. sequ. maj.*: cujus ratio est institutio Divina, ex

qua etiam requiritur, ut sit baptizatus qui vult confirmari, et ordinari. Idque maxime congruebat: cum enim Episcopus sit primus Presbyter, et Presbyterorum consecrator, congruum non erat, ut Presbyteris praeesset, ac Presbyteratum daret qui non esset Presbyter. Ex praefatis autem Ordinibus primi 4. dicuntur minores; reliqui majores, et ob solemne castitatis votum iis annexum; et quia propius ad Eucharistiam pertinent. Quidquid autem dicant Fagn., aliique, Tonsura non est Ordinibus accensenda: quod probatur 1.° ex Trid. *sess.* 23. *c.* 2., ubi de ea loquens, ait: *Ut qui jam tonsura insigniti essent, per minores ad majores Ordines ascenderent.* Tonsuram ergo inter Ordines non enumerat. 2.° quia per tonsuram nulla confertur potestas spiritualis, sed solum constituitur homo in statu Clericali, fitque capax obtinendi Beneficia Ecclesiastica. Qui autem sine Tonsura Ordines reciperet, valide ordinaretur, sed peccaret graviter, et maneret suspensus usque ad beneplacitum Episcopi (Lig. *in exam. Ord. n.* 47.).

346. Licet tamen Ordines numerentur septem, unum simul est Sacramentum Ordinis, quia, ut ait D. Th., *tota plenitudo Sacramenti hujus est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio Ordinis.* Ejusque veritas probatur dicendo pariter ac dictum est de aliis Sacramentis, quod si in eo habetur ritus sensibilis, gratiae per illum collatio, et Christi institutio, habetur quoque in eo omnis Sacramenti ratio, ideoque dicendum est Sacramentum. Omnia autem haec in Sacra Ordinatione habentur. Et 1.° *ritus sensibilis*; de Ordinatione enim Diaco-

norum dicitur Act. 6.: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* Sicut et de Ordinatione ad Presbyteratum, et Episcopatum Pauli, et Barnabae dicitur c. 13.: *Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Et ab Ap. de Ordinatione Timothei in Episcopum 1. *ad* Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per prophetiam* (idest ex D. Th. *per inspirationem, seu per electionem Divinam*) *cum impositione manuum Presbyterii.* Et c. 5. prohibens praeproperas ordinationes, ait: *Manus cito nemini imposueris* etc. *Gratiae per illum collatio*; per hanc enim manuum impositionem gratiam conferri, patet ex cit. verbis; quibus similia idem Ap. habet in ep. 2. c. 1., ubi ait: *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quae est in te per impositionem manuum mearum* etc. Quae autem sit illa Sacerdotalis gratia, immediate subdit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis* (idest fortitudinis), *et dilectionis, et sobrietatis* etc. *Christi institutio*; ait namque idem Ap. ad Eph. 4.: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos . . alios autem Pastores, et Doctores . . in opus ministerii.* Quod confirmatur ex illis ipsius Christi verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus et instituit Apostolos Sacerdotes, ut definiit Trid. *sess.* 22. *can.* 2., et praecepit, ut sicut ipse ordinaverat eos Sacerdotes, idem quoque ipsi facerent, Ecclesiae Ministros ordinando. Ergo.

347. Nemo idcirco Catholicorum negat, de fide esse Ordinationem in genere, ac praecise Sacerdotium,

ut ait Lig. *in Exam. Ord. n.* 27., esse Sacramentum. Ait autem *Sacerdotium*: quamvis enim de fide sit, Episcopatum fuisse a Christo institutum, ac per illum Episcopos superiores effici Presbyteris, ut evidenter liquet ex relatis Scripturae textibus, et Trid. definiit *sess.* 23. *can.* 6., *et* 7.; quamvis item adeo certum sit, Episcopatum esse Sacramentum, ut Bellarm. illud dicat *certissimum*, Sotus *certa fide tenendum*, Vasq. *quamquam non expresse definitum, ex definitione tamen Trid. non obscure deduci, nec sine gravi nota hoc tempore negari posse*, iisdem enim Scripturae locis, quibus probatur, Ordinem esse Sacramentum, probatur quoque, Sacramentum esse Episcopatum, quare aut Episcopatus est Sacramentum, aut (quod nefas est affirmare) Ordo non est Sacramentum: quia tamen, ut scribit Laur. Berti *l.* 36. *de Theol. Disc. c.* 9., Episcopatum Sacramentum non esse docuerunt antiquiorum permulti, et praecipue D. Th. *Dist.* 24. *in l.* 4. *Sent. q.* 3. *a.* 2. *ad* 2., *et q.* 40. *Suppl. a.* 5., non est proinde de fide catholica, quod sit Sacramentum. Ob similem rationem, quia nempe duo Catholici AA. *Cajet.*, et *Durand.* negarunt absque haereseos nota, Diaconatum esse Sacramentum, id quoque non esse de fide, docet Lig. *l. c.* Est tamen, ut scribit P. Cuniliati, adeo certum, ut sine gravis temeritatis piaculo negari non possit: habetur enim in promotione ad Diaconatum *ritus sensibilis*, nempe impositio manuum. *Gratiae per illum collatio*, ex dictis. *Christi institutio*; cum enim definierit Trid. sess. 23. can. 6.: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierar-*

chiam Divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, anathema sit, pro tò Ministris saltem Diaconi intelligendi sunt. Accedit, quod cum idem Conc. definierit can. 4. : *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra dicere Episcopos, Accipe Spiritum Sanctum, anathema sit*; hinc cum in Ordinatione Diaconatus dicat quoque Episcopus: *Accipe Spiritum Sanctum*, vere, dicendum est, Spiritum Sanctum dari, et per consequens conferri Sacramentum. Munus autem Diaconorum non fuisse tantum Apostolorum tempore *ministrare mensis*, ideoque quid profanum, ut haeretici garriunt, sed et praedicare, et baptizare, patet ex c. 6., et 8. Act., ubi et Stephanus Jerosolymis verbum Dei praedicat, ac signis, et prodigiis confirmat, et Philippus Samariae baptizat.

348. Probabilius tamen negatur cum Lig. 737., Subdiaconatum, et minores Ordines esse Sacramenta: 1.° enim si pro Subdiaconatu, et minoribus Ordinibus deest et institutio Divina, et per ipsorum collationem gratiae collatio, profecto dicendi non sunt Sacramenta. Deest autem *institutio Divina*, cum nullibi Scripturarum mentio fiat vel Subdiaconatus, vel minorum Ordinum, ut indicat quoque Trid. *sess.* 23. *c.* 2.. Quibus accedit, quod, ut scribit Hab. *de Ord. p.* 1. *c.* 4., *apud Graecos a mille annis, et amplius quatuor tantum Ordines agnoscuntur, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, et Lectoratus*: immo, ut fuse ostendit Tourn. *de Sacr. Ord. q.* 6. *concl.* 2. ex eorum Ritualibus, ex Conc. Ephes. ex

Conc. VIII. gen., ex Jo. VIII., et Inn. IV., nedum *Ecclesia Orientalis quatuor* praefatos *admittit Ordines*, sed et numquam alios habuit *veros*, *et proprie dictos*, *ex aliqua scilicet vera Ordinatione*; *quos* enim *S. Ephip. insuper enumerat*, *erant officia*, *quae improprie Ordines vocabantur*, *ob ministerium*, *quod impendebatur*, *a Cantoribus v. g.*, *Fossariis*, *seu Laborantibus*, *linguarum interpretibus*, *etc.*, *non enim proprie ordinari dicebantur*. Porro Latini nullam propterea vel in Conc. Lugd., vel in Flor. super hoc litem moverunt, quasi Graeci a Divina institutione recessissent, quod factum fuisset procul dubio, si essent Divinae institutionis. Deest igitur pro minoribus Ordinibus *institutio Divina*. Sicut etiam deest per eorum collationem *gratiae collatio*; nemo enim ex PP. umquam meminit, in Ordinatione dari Spiritum Sanctum per instrumentorum porrectionem, sed constanter docuerunt, dari per manuum impositionem, quae nulla fit in ordinatione Subdiaconorum, et clericorum inferiorum. Cui accedit, quod Episcopus in eorum collatione gratiae nullatenus meminit, sed potestatis tantum, quam per Ordinem confert. Objicitur 1.° Decr. Flor., ubi dicitur, *Ministrum ordinarium Sacramenti Ordinis esse Episcopum*, ac subinde recensentur inter Ordines Subdiaconatus quoque, et caeteri Ordines inferiores: ergo Sacramenta. Sed resp. *neg. cons.*, nedum enim non dicitur, quod singuli Ordines sunt Sacramenta, sed cum Conc. praecipue coactum fuerit ad foedus cum Graecis ineundum, numquam tamen his objecit, ut advertit Tourn. ubi de Subdiac., *quod praetermitterent tres minores Ordines*. Porro si

existimasset, ea esse Sacramenta, et id iis objecisset, et numquam cum iis iniisset foedus, quos in re tanti momenti, qualis fuisset Sacramentorum a Christo institutorum neglectus, novisset errare. Objicitur 2.°, quod si Subdiaconatus, et minores Ordines characterem imprimunt, dicenda sunt Sacramenta. Characterem autem imprimunt et quia iterari nequeunt, et ex Trid.: ergo Sacramenta. Sed resp. etiam *neg. min.*, quod enim iterari nequeant non habent id ex eo quod characterem imprimant, sed ex lege Ecclesiae, perinde ac Tonsura, et Consecrationes Ecclesiarum, quae nec etiam iterantur. Trid. vero non ait, Suddiaconatum, ac minores Ordines characterem imprimere, sed tantum tria esse Novae Legis Sacramenta, quae characterem imprimunt, Baptismum, Confirmationem, et Ordinem.

349. Ministrum autem ordinarium Sacramenti Ordinis solum esse Episcopum, probatur 1.°, quia Ordines, quorum meminit Scriptura, solos Apostolos ibidem legimus contulisse. Et sane *Act.* 6. Apostoli ordinant primos Diaconos: *Act.* 13. ab Apostolis Paulus, et Barnabas in Episcopos ordinantur: *Act.* 14. Paulus, et Barnabas Presbyteros ordinant Listrae, Iconii, et Antiochiae: *in ep.* 2. *ad Tim. c.* 1. dicit Paulus, illum a se ordinatum fuisse Episcopum, eumque monet *in ep.* 1. *c.* 5., ut nemini cito manus imponat: ac *in ep. ad Tit. c.* 1. scribit, se eum Cretae reliquisse, ut *constitueret per civitates Presbyteros.* Ii autem, qui Apostolis succedunt, sunt Episcopi: ergo.. 2.° ex saepe relato Flor. Decr., et ex Trid. *sess.* 23. *can.* 7.. Ministrum vero extraordi-

narium minorum ordinum, etiamque Subdiaconatus posse et esse ex Papae privilegio simplicem Presbyterum, constat tum ex eo quod sunt institutionis Ecclesiasticae, siquidem, ut diximus *n. ant.*, ne vel minima de illis fit in Scripturis mentio, nec Traditio docet, eorum institutionem ad Christum esse referendam: tum ex eo quod simplicibus Presbyteris collatam quandoque fuisse potestatem ipsum Subdiaconatum conferendi, in comperto est apud Eruditos; ac etiamnum tot Abbates minores Ordines conferendi potestatem habent. Diximus tamen *Minorum Ordinum, et Subdiaconatus*; caeteros enim numquam legimus, nisi solos Episcopos, quantalibet compulerit necessitas, contulisse; ex quo sequitur, quod a solis dumtaxat Episcopis valide conferri possint, cum non sit verisimile, ut Hallerius disserit, quod si Christus Ecclesiae suae potestatem reliquisset dispensandi cum simplici Presbytero, ut Ordines Hierarchicos conferret, numquam tamen Ecclesia ob quamcumque necessitatem illam exercuisset. Objicitur 1.° illud Ap. *ad Tim. ep.* 1. *c.* 4.: *Noli negligere gratiam, quae data est tibi cum impositione manuum Presbyterii*: nec non praxis hodierna, juxta quam simplices Presbyteri simul cum Episcopo manus imponunt super initiandos ad Sacerdotium. Sed resp., nomen *Presbyterii* ab Ap. eo loci usurpari pro Episcoporum coetu: cum enim agatur de voce aequivoca, ejus recta significatio petenda est tum ex aliis Scripturae locis, ubi jus ordinandi aliis non tribuitur, quam Apostolis, tum ex Traditione, quae idem confirmat. Manuum vero impositio, quae fit a Presbyteris super initian-

dos ad Sacerdotium, Sacramentalem non esse, sed tantum coeremonialem ad fraternitatem cum Presbyteris de novo consecratis demonstrandam, ex eo patet, quod Presbyteri manus imponentes nulla verba proferunt; quod sane non esset, si illa manuum impositio materiae essentialis Ordinis locum haberet. Objicitur 2.° relatum Flor. Decr., ex quo sequi videtur, simplicem Presbyterum ipsius Presbyteratus *Ministrum extraordinarium* esse posse. Sed resp., ideo Flor. vocasse Episcopum *Ministrum ordinarium Sacramenti Ordinis*, quia ex privilegio potest quoque simplex Sacerdos conferre Subdiaconatum, et Minores Ordines, qui et Ordinibus accensentur, et ad Sacramentum Ordinis referuntur. Objicitur 3.°, Innoc. VIII. indulsisse Abbatibus Cisterciensibus conferendi ipsum Diaconatum Monachis ejusdem Ordinis. Sed resp., privilegium hujusmodi fictum, ac supposititicium esse, 1.° quia nec in Bullario, nec in publicis monumentis extat. 2.°, quia illius non meminit Trid. *sess.* 23. nec c. 8., ubi Sacram Ordinationem Episcopis reservat; nec c. 10., ubi vetat, ne Abbates aliis, quam suis Tonsuram, et Ordines minores conferant, ipsorumque, et aliorum Exemptorum privilegia restringit. 3.° quia cum Abbas hoc unum *in supplicatione* postulet, ut sibi nempe renovetur privilegium suis Monachis conferendi Tonsuram, et Minores Ordines, datur postmodum facultas *in concessione* conferendi Subdiaconatum, et Diaconatum. Quis autem nesciat, quod ultra petita Pontifex non concedit? Hinc, teste Hallerio, *numquam Abb. Cist. talî usi sunt privilegio; quod si a S. Sede obtinuissent, nusquam proculdubio ab ejus usu se continuissent.*

350. Quamvis tamen et minores Ordines, et Subdiaconatus non sint Sacramenta, per quamdam nihilominus cum iis analogiam de illis quoque dicitur, quod constant materia, et forma. Et quidem materia remota apud Latinos tam minorum Ordinum, quam Subdiaconatus est *id, quod traditur in signum potestatis spiritualis, quae confertur*; proxima vero *ipsa traditio, et acceptio*: ex quo sequitur, formam esse *verba, quae Episcopus profert in traditione illarum rerum*, juxta id, quod n. 10. diximus. Qua super re advertendum, quod in collatione Subdiaconatus calix vacuus, et patena vacua, quae traduntur, esse debent consecrata, quia secus non essent vasa Ecclesiastica, seu sacra: quodque praeter traditionem calicis vacui cum patena vacua, essentialis quoque est traditio libri epistolarum, quia adhuc speciale munus est Subdiaconi illas legere. Diximus autem *apud Latinos*; apud Graecos namque cum traditio rerum non sit in usu, confertur Subdiaconatus per manuum impositionem. Quoad Diaconatum vero, et Presbyteratum docent non pauci, solam rerum traditionem cum verbis adjunctis esse eorum materiam, et formam; Diaconatus nempe traditionem libri Evangeliorum, Praesbyteratus traditionem calicis cum vino, et patenae cum hostia: manuum autem impositionem aut non distingui ab ipsa rerum traditione, aut non esse essentialem, sed accidentalem tantum; non aliud enim, quam illarum rerum traditionem cum verbis adjunctis assignatur a Flor. in relato Decr. pro eorum materia, et forma. Docent alii, tam manuum impositionem cum oratione, quae simul funditur, quam

traditionem praedictarum rerum cum verbis adjectis esse eorum materiam, et formam; in quorum sententia duplex proinde est eorum materia, et duplex forma, utraque partialis simul, et essentialis: cum enim ex eorum sententia, exceptis Baptismo, et Eucharistia, quorum materiam, et formam Christus in specie determinavit, aliorum Sacramentorum materiam, et formam non determinaverit, nisi tantum in genere, tribuendo potestatem Ecclesiae eas determinandi in specie; hinc manuum impositionem necessariam esse, inquiunt, ex Scripturae textibus relatis n. 346., rerum vero traditionem ex usu Ecclesiae, ut constat ex relato Flor. Decr.; cumque Ecclesia utramque determinaverit, utramque dicendam esse eorum materiam, et formam. Quoad Episcopatum tamen et in istorum, et in illorum sententia triplex est ejus materia partialis, et triplex ejus forma: 1. scilicet impositio manuum a tribus Episcopis facta super caput illius, qui in Episcopum ordinatur; et forma ei respondens verba ab illis tribus simul prolata. 2. Unctio coronae capitis, et manuum facta per consecratorem Episcopum; et forma ei respondens verba, quae in ipsa unctione ab Episcopo consecratore proferuntur. 3. traditio Baculi Pastoralis, et annuli, ac impositio libri Evangeliorum super caput, et scapulas Ordinandi; et forma respondens verba, quae simul consecrator Episcopus profert.

351. At probabilior sententia, cui adhaeret Lig. n. 749., docet, materiam, et formam Diaconatus, Presbyteratus, et Episcopatus esse solam manuum impositionem cum verbis adjunctis: traditionem vero

praedictarum rerum cum suis respective verbis esse materiam, et formam dumtaxat accidentalem, aut integralem, ad majorem scilicet potestatis collatae significationem. Quod probatur 1.° ex Scripturae textibus relatis n. 346., ubi in Ordinatione et Diaconatus, et Presbyteratus, et Episcopatus non fit mentio, nisi de sola manuum impositione. Ait autem Trid. *sess.* 23. *c.* 2., quod *Sacrae Litterae gravissimis verbis docent ea, quae maxime in Diaconorum, et Sacerdotum ordinatione attendenda sunt*: Cum igitur Sacrae Litterae mentionem non faciant in eorum Ordinatione, nisi de sola manuum impositione, hanc solam esse cum verbis adjunctis eorum materiam, et formam, dicendum est. 2.° ex illis ejusdem Trid. verbis *sess.* 14. *c.* 3.: *Episcopos, aut Sacerdotes rite ordinatos per impositionem manuum Presbyterii, Ministros esse Sacramenti Extremae unctionis.* 3.° quia materia et forma essentialis cujusvis Sacramenti dicenda est ea, per quam confertur Spiritus Sanctus, idest gratia Sacramenti. Haec autem in Ordinatione Diaconorum, Presbyterorum, et Episcoporum confertur ex Scripturae textibus supra relatis num. 346. per manuum impositionem cum verbis adjunctis: Haec igitur eorum materia, et forma essentialis dicenda est. 4.° quia rerum traditionis nec ullus in Ecclesia Latina usus deprehenditur per novem priora saecula, sed a saeculo VIII., vel IX. invectam fuisse apud Latinos docet Ben. XIV. cum doctissimo Martene *l.* 7. *de Syn. c.* 2. *n.* 5.; et etiamnum Ecclesia Graeca illam omittit: ex quo sequitur, vel nullas fuisse apud Latinos per novem saecula, et etiamnum esse

apud Graecos Ordinationes ob defectum illius traditionis; vel traditionem hujusmodi ad essentiam Ordinis non pertinere. Illud nefas dictu: ergo hoc posterius dicendum. 5.° cum certum sit, traditionem rerum esse institutionis Ecclesiasticae, hinc si earum traditio esset de Sacramenti essentia, Ecclesia potestatem haberet in ipsam substantiam Sacramentorum, ad quam proculdubio pertinet eorum materia, et forma. Id autem est contra Trid. *sess.* 21. *c.* 2.: ergo. Qua super re consulatur quod diximus n. 12., et 13., ubi etiam ad Flor. Decr. respondimus: nec non advertendum, quod triplex fit ab Ep. in Ordinatione Presbyterorum manuum super eos impositio: 1.° quando manus extendit nihil dicens. 2.° quando una cum Presbyteris extendit manus super initiandos, et fundit preces. 3.° quando post Communionem dicit: *Accipe Spiritum Sanctum*. Ordo autem confertur, non in 1., ut certum est apud omnes, neque in 3., nam haec supponit Ordinem jam collatum, cum jam Neopresbyteri consecraverint simul cum Episcopo, sed in 2., ut patet ex relatis Trid. verbis. Advertendum quoque, quod licet hinc inde probabiliter disputetur, an ad valorem Ordinationis Episcopalis exigantur, necne tres Episcopi, cum ex una parte Ap. ad Tim. dixerit, illum ordinasse Episcopum *cum impositione manuum Presbyterii*, idest coetus Episcoporum, ut supra diximus, utque exponunt Interpretes: ex altera in Pont. Rom. unus tantum Episcoporum dicitur consecrator, alii vero assistentes; cui accedit, quod in aliis Sacramentis unus tantum Minister requiritur: omnino tamen in praxi adhaerendum est, ut advertit

Lig. n. 755., sententiae affirmativae, tum quia agitur de valore Sacramenti, tum ad vitandum damnum commune tot Ordinationum subinde invalidarum.

352. Ex quibus etiam rationibus, cum improbabile non sit saltem ob tot DD. auctoritatem, quod simul cum manuum impositione requiratur traditio praedictarum rerum cum verbis adjunctis, omnino etiam necesse est, ut in praxi ea omnia sedulo observentur, quae usus Ecclesiae praescribit: nec non 1.° quod contactus rerum sit physicus, et immediatus, tum quia talis est usus Ecclesiae; tum quia verba, adjecta, seu formae, videntur ostendere, ut ait D. Th., quod tactus materiae sit de essentia Sacramenti; tum quia sicut in Baptismo, Confirmatione, et Extrema unctione requiritur, ut materia physice, et immediate applicetur suscipienti, ita et in Ordinatione. 2.° quod in Ordine Sacro conferendo materia tradenda est ab eodem Episcopo, secus in collatione Ordinum minorum; ut cum D. Th., aliisque advertit Lig. *in exam. Ordin. num.* 28. 3.° quod calix, et patena, quae traduntur, sint consecrata, ex ratione supra allata, quia secus nempe non essent vasa Ecclesiastica, seu sacra. 4.° quod una cum calice, et patena tradatur utraque species panis, et vini ad significandam potestatem offerendi Sacrificium, quod consistere nequit absque consecratione utriusque speciei, ex dictis num. 177. 5.° quod licet probabilius sit, satis esse in susceptione Presbyteratus tangere hostiam, et non patenam, quia substantia panis ea est, quae consecratur, ac patena est tantum quid suppositum: sicut et satis tangere calicem, et patenam absque con-

tactu hostiae, tum quia non praescribitur in Pontificali tactus immediatus hostiae, sed tantum patenae; tum quia sicut vinum in calice contentum non tangitur immediate, ita non requiritur, ut hostia immediate tangatur: quia tamen in Decr. Flor. assignatur pro materia Presbyteratus *calix cum vino, et patena cum hostia*, omnino in praxi curandum est, quod Sacerdotio initiandus nedum, ut praescribitur in Pontificali, *cuppam calicis, et patenam simul tangat*, sed cum patena etiam hostiam. 6.° quod si aliquid ex dictis defuerit, ipsa anxietas de dubio justa est causa ex Lig. n. 751. Ordinationem sub conditione iterandi. In quo casu, si Ordo constet duplici materia, et forma, ut Ordo Sacerdotii, qui ex relata non paucorum sententia constat ex calice cum vino, et patena cum hostia, atque impositione manuum, tunc ex eodem Lig. si defectus est in parte antecedenti, nimirum in traditione calicis, et patenae, totum Sacramentum est iterandum, sicut etiam si Presbyteratus collatus fuerit absque 2. manuum impositione, ut declaravit etiam S. C. ap. Ben. XIV. *l. c. n.* 13., qui enim non acceperit potestatem super verum Christi Corpus, nec illam super ejus Corpus mysticum potuit accipere: secus vero si defectus fuerit in parte posteriori, quia potestas super verum Christi Corpus confertur independenter a parte subsequenti (n. 749., et 758.). 7.° quod praedicti defectus utpote essentiales, supplendi sunt *statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos*, ex *C. Presbyter, de Sacr. non iter*; secus defectus accidentales, qui suppleri possunt quovis tempore (n. 759.).

353. Ut licite autem quis ordinetur, praeter dicta l. 3. n. 44., et sequ., 1.° ordinandus est a proprio Episcopo, vel de ejus licentia, si *aegritudine fuerit impeditus*, ut ait Trid. *sess.* 23. *c.* 3., vel ex alia justa causa, ut DD. addunt, quia causa infirmitatis ibi exprimitur *exemplificative*, non *taxative*: secus suscipiens peccat graviter, et suspenditur ab exercitio Ordinis suscepti, donec proprius Episcopus voluerit; et Ordinans incurrit suspensionem a collatione Ordinum per annum; et interim si suspensio sit notoria, sive de facto, sive de jure, Clerici ejus subditi (non vero laici) possunt sine ejus licentia ordinari *ab Episcopis vicinis*, ex *c.* 2. *de Temp. Ord. in* 6. Dicitur autem *proprius*, cui Ordinandus sit subditus ratione vel originis, vel domicilii, vel beneficii, vel famulatus. Quia tamen origo non sufficit sine domicilio, nec famulatus sine beneficio, saltem conferendo *intra mensem* ex Bulla *Speculatores*, satius dictu est, quod quisque ordinandus est ab Episcopo vel *domicilii*, vel *Beneficii*. At quoad domicilium, ut is, qui istud mutaverit, possit Ordines suscipere ab Ep. novi domicilii, requiritur *ex c. Bulla* ap. Lig. n. 770., quod in novo domicilio manserit per aliquod tempus notabile, ac juret habere animum ibi perpetuo manendi. Si quis tamen post domicilium contractum velit alio se transferre, bene ordinari potest ab Episcopo loci, in quo commoratur, quia ad perdendum domicilium non sufficit animus ab illo discedendi, sed requiritur actualis recessus. Qua super re docet quoque Lig. n. 779., Barones, eorumque filios gaudere domicilio feudorum suorum, etsi ibi non habitent,

ideoque ordinari posse ab illorum Episcopo. Quoad Beneficium vero advertendum, quod ut quis ordinari possit ab Episcopo Beneficii, 1.° debet esse saltem tonsuratus, alias non est capax Beneficii, neque ideo habilis ad Ordines ab illo Episcopo suscipiendos. 2.° obtinere debet literas testimoniales ab Episcopo domicilii. 3.° Beneficium debet actu possidere, et de se sufficiens ad congruam sustentationem absque supplemento Patrimonii. An autem ab eo detrahenda sint Missarum onera, S. C. ap. Ben. XIV. *Not.* 26. *n.* 6. respondit, id relinquendum arbitrio, et conscientiae Episcopi.

354. Necesse est 2.°, ut quis licite ordinetur, animum clericandi habere. Qua super re certum quidem est non peccare graviter, immo probabiliter nec leviter, qui susciperet Ordinem etiam ex majoribus absque animo ascendendi ad superiores, sub exceptione tamen, de qua l. 3. n. 40.: quia quilibet Ordo confertur ad hoc, ut ordinatus inserviat Deo in officio, ad quod ordinatur: graviter tamen peccaret ex Lig. n. 785., qui minores Ordines, vel etiam primam tonsuram susciperet animo effugiendi forum Laicale, et postea redeundi ad saeculum, tum quia sacris ministeriis ad fines temporales abuteretur; tum ex Trid. *sess.* 23. *c.* 4., ubi: *Tonsura non initientur ii, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saecularis judicii effugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.* 3.° esse debet confirmatus ex eod. Trid. l. c.; quod tamen ex Lig. n. 786. non requiritur sub gravi, cum verba Conc. decentiam potius indicent, quam praeceptum.

4.° sub gravi, et sub poena suspensionis habere debet ex eod. Trid. *sess.* 21. *c.* 2. *de Ref.* titulum sustentationis, qui *sibi ad vitam honeste sufficiat*: vel nempe ex professione Religiosa, vel ex Patrimonio, aut Beneficio juxta taxam uniuscujusque Regionis. Patrimonium tamen constituendum est super re certa, et immobili, ac de sua natura frugifera, pacifice possessa, nec aere alieno, aut hypotheca gravata: ad quod caeterum sufficit ex Lig. n. 817. census perpetuus adhuc redimibilis, quia et hic de se fructificat; modo Episcopus cautionem adhibeat, ut si redimatur, in aliam emptionem applicetur. Ad Beneficium vero satis esse docet num. 815. titulum coadjutoriae perpetuae, vel quotidianarum distributionum, vel pensionis, aut praestimonii perpetui, vel etiam Capellaniae perpetuae, immo etiam amovibilis, dummodo habens nominandi jus obligetur, non removere ordinatum, donec sibi procuret Beneficium, vel Patrimonium. Capellanus autem (ut expressius dicamus, quod n. 192. diximus minus expresse), etsi amovibilis, licite potest Missas Capellaniae alteri celebrandas tradere, cum stipendio congruo juxta morem loci, retento excessu, ut diximus n. cit., *modo pro Capellania certi redditus sint annuatim constituti, et perpetuo Capellano assignati; secus vero, si hujusmodi Capellano pro qualibet Missa celebranda certa detur eleemosyna.* Est porro ordinationis titulus adeo sacer, ut Trid. l. c. sanciverit, *sine licentia Episcopi alienari, extingui, vel remitti nullatenus posse.* Cui addit S. C. ap. Ben. XIV. *Not.* 26. *n.* 6. *et* 28., *eum, qui de facto alienavit Patrimonium, ad cujus*

titulum fuerat ordinatus, nulla facta mentione, quod ad illius titulum promotus fuisset, in censuras non incidisse, sed alienationem factam esse ipso jure nullam. Nec non *renunciationem Patrimonii absque licentia Episcopi factam, ad cujus titulum Clericus simpliciter Sacris Ordinibus fuit initiatus, non sustineri, etiam post assecutionem Beneficii ad ejus vitam sustentantis sufficientis.* Ac demum ap. Monacelli donantem Clerico Patrimonium teneri liberum relinquere patrimonium ordinato. Quae omnia videri et possunt ap. Lig. *n.* 814., *et sequ.*: ubi etiam advertit, quod si defectus Beneficii sit modicus, licite quis ordinatur; secus, si notabilis, qualem censet cum Viva defectum quintae partis.

355. Necesse est 5.°, ut quis licite ordinetur, ordinem inferiorem ante superiorem suscipere; idque etiam sub gravi, et sub poena suspensionis ab exercitio Ordinis suscepti, donec Episcopus dispenset, ex *c. un. de Cler. per salt. ord.* 6.° ut suscipiantur tempore debito, in Sabbatis scilicet Q. T., Sabbato ante Dom. Passionis, et Sabbato Sancto Ordines majores; minores vero saltem in die festo de praecepto. 7.° quoad interstitia consulatur l. 1. n. 135. Suscipiens autem eodem die duos Sacros Ordines et graviter peccaret, et in suspensionem ab illorum exercitio, atque in irregularitatem incideret, ex *c. Innotuit de eo qui furtive etc.*, *c. Literas*, *et c. Dilectus*: eos vero suscipiens continuatis diebus, et extra tempora, in suspensionem, ex Bullis Xisti V., et Clem. VIII., prout qui ordinatur sine literis Dimissorialibus, vel ante legitimam aetatem: legitimis vero tempori-

bus, ac tantum non servatis interstitiis, peccaret graviter, sed, ut docet Lig., in suspensionem probabilius non incurrit; quod et docet de eo, qui eodem die minores Ordines una cum Subdiaconatu suscipere: subjungens tamen, hunc fieri irregularem quoad Ordines superiores suscipiendos, *ex cit. c. de eo qui furtive* (n. 796. et 797.). 8.° quoad locum sciendum, quod Episcopus Ordines conferens in Dioecesi aliena absque Ordinarii licentia incurreret suspensionem ab exercitio Pontificalium, et ordinatus ab exercitio Ordinis suscepti; quod tamen intelligendum non est de 1. tonsura, cum haec sine Pontificalibus conferatur (n. 756, et 798.). Quoad aetatem vero, esse hanc pro prima Tonsura, saltem septennem cum rationis usu, ex jure communi, sed in nostro Regno *ex Concord.* saltem 10.: pro minoribus Ordinibus nullam in jure assignari: Pro Subdiaconatu, Diaconatu, et Sacerdotio annorum 22., 23., et 25., tametsi annus sit incoeptus: Pro Episcopatu annorum 30. Scienter autem suscipiens Ordines absque legitima aetate, incurrit suspensionem Papae reservatam ab exercitio Ordinis suscepti, etsi deinde aetatem compleverit, *ex Extrav. Pii II. Cum Sacrorum.* An simul tamen irregularitatem contrahat suscipiens Ordines majores ob exercitium Ordinis in ipsa susceptione, censet valde probabile Lig. n. 799., quod non, tum *ex cit. Extrav.*, tum quia exercitium illud non censetur actus moraliter distinctus ab ipsa ordinatione, modo tamen illos non suscipiat cum excomm., suspensione, vel interdicto prius contractis, quia tunc cum censura prius contracta exerceret Ordinem. Quod demum initian-

dus exercuerit Ordinem prius susceptum verius putatur de consilio, quam de praecepto, ex Trid. verbis *sess.* 23. *c.* 11.: *At in unoquoque Ordine juxta praeceptum Episcopi se exerceant etc.* (Lig. n. 801.).

356. Literas vero Dimissoriales concedere possunt 1.° Episcopus, etsi manens in aliena Dioecesi, cum non sit actus jurisdictionis contentiosae. 2.° Abbates, sed tantum qui praeter jurisdictionem quasi Episcopalem possint quoque minores Ordines conferre. 3.° Praelati Regulares, Generales scilicet, vel Provinciales. 4.° Vicarii capitulares, sed nonnisi post annum a Sede vacante, ex Trid. *sess.* 7. *c.* 10., nisi quis sit arctatus ad Ordines intra annum suscipiendum ob Beneficium requirens obsequium personale; et in nostro Regno *ex Concord.*, nonnisi post expressam licentiam S. C. Conc.. Bene tamen concedere potest intra ann., ut Regulares afferentes Dimissorias suorum Superiorum ordinentur ab aliquo Episcopo; nec non dare alieno Episcopo licentiam Pontificalium, et conferendi Ordines Clericis subditis ipsi Episcopo, vel subditis eidem Sedi vacanti, qui a Pontifice obtinuerint Ordines intra annum suscipere: sicut etiam bene intra annum ordinari posset habens Dimissoriam Episcopi defuncti, ex Decl. S. C.; ac bene valent Dimissoriae concessae a Vicario Capitulari post annum, etiamsi sit jam ingressus novus Episcopus. 5.° Vicarii Generales, modo habuerint ad hoc speciale mandatum ab Episcopo, vel Episcopus sit extra Provinciam, aut distans saltem per diem itineris a propria Dioecesi. 6.° hujus nostri Regni Episcopi, ex Decr. S. C. *die* 16. *Mart.* 1624., rite possunt extraneos

ordinare cum Dimissoriis proprii Ordinarii, licet non sint directae ad certum Episcopum (Lig. n. 763. 787., et 788.).

357. Ut autem suspensiones hac super re sub uno intuitu habeantur, recipientes Ordines ab alieno, vel a proprio in aliena Dioecesi, vel ab Episcopo Beneficii sine Testimonialibus proprii Ordinarii, vel sine aetate legitima, aut dimissoriis, aut titulo, vel extra tempora, aut non servatis interstitiis, per saltum, vel in censura, vel post Matrimonium ratum, omnes suspensi sunt ab executione Ordinum, nisi id fecerint absque dolo; et si Ordinem sacrum exerceant, fiunt irregulares. An vero ordinatio fuerit valida, si Episcopus ante illam protestatus fuerit, non habere animum ordinandi censura innodatos, aut irregulares, aut alio modo indignos, docet Ben. XIV. *De Sacr. Miss. sect.* 2. §. 70. ex Decr. S. C. Conc., id resolvendum esse ab intentione ipsius Episcopi, qui idcirco interrogandus est: si enim asserat revera talem animum habuisse, certum est, talium Ordinationem fuisse nullam, et absolute iterandam esse: si vero dubitet, quam intentionem revera habuerit, iteranda est sub conditione. Addit *l.* 8. *de Syn. c.* 6. *n.* 1., quod Episcopi ab hac protestatione se abstineant; quamvis enim Episcopus posset aliquando ex gravissima causa intentionem habere conditionatam in collatione Ordinum, illam tamen nequit vel citra talem necessitatem, vel universaliter erga omnes absque pluribus inconvenientibus, ideoque absque gravi culpa habere; quare etiam sub gravi culpa tenetur absolute Ordines conferre quibus manus imponit. Ad quid igitur (con-

cludit) protestatio illa, nisi ad scrupulos ingerendos?

358. Hic quoque loci advertendum vi obedientiae, quam Sacerdos in sua Ordinatione promittit Episcopo, teneri ex Const. ejusdem Ben. *Ex quo dilectus* etc., *ut a servitio Ecclesiae, cui addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi*: quodque ne sit simoniae objectum, quod ab Episcoporum Curiis, Officialibus, ac famulis exigitur in susceptione Ordinum, pro eorum nempe Testimonialibus, Dimissorialibus, etc., consulatur l. 2. n. 106. Quibus addimus, quod ibi sancitum a Trid. confirmavit quoque Inn. XI. taxa, quae idcirco dicitur *Innocentiana*, de qua *Ferrar. V. Taxa*: *Eccettochè nella collazione del Suddiaconato per gli atti, che si debbono fare per la giustificazione della verità, e sufficienza del Patrimonio, ovvero del benefizio, a titolo del quale si dee promuovere, possa il Cancelliere esigere quell' emolumento, che sia proporzionato alla mera fatica personale per la scrittura, e carta, senza che il Vescovo, o Vicario, o altro Officiale ne possa partecipare in modo alcuno: purchè detto emolumento non possa, nè debba eccedere uno scudo d'oro; ma se la fatica richiede minor mercede, si debba esigere solamente quel meno.* Videri etiam possunt ap. *Ferr. l. c.* quae idem Pont. sanxit accipi posse a Curiis Episcopalibus in collatione Beneficiorum, aliisque expeditionibus spiritualibus.

TRACTATUS VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPUT I.

De praeambulis ad Matrimonium; idest Sponsalibus.

359. Definiuntur sponsalia, *a spondendo* dicta, *promissio voluntaria, deliberata, et mutua, signo sensibili expressa futuri Matrimonii inter personas jure habiles. Promissio*: hinc qui promiserit vel sine animo promittendi, vel sine animo se obligandi, sponsalia non iniit: 1., quia cum deest promittendi animus, deest quoque promissio. 2., saltem probabilius ex Lig. n. 833., quia omnis obligatio, quae non oritur ex lege, pendet a privata hominis voluntate: ex quo sequitur, quod ubi desit voluntas se obligandi, deest quoque obligatio; idque, etsi promissio fuerit juramento firmata, juramentum enim, ut diximus l. 2. n. 139., firmat contractus jure positivo irritos, in quibus contrahens potest cedere juri suo; non vero contractus, qui omnino desint ob defectum vel voluntatis contrahendi, vel voluntatis se obligandi, pro quibus locum habet ratio, quod *ruente principali*, idest promissione, *ruit quoque accessorium*, idest juramentum. *Voluntaria*: hinc quae inficiunt voluntarium, inficiunt quoque sponsalium valorem; ex quo sequitur, quod quia error, vel dolus

circa substantiam, vel circa circumstantiam substantialem inficiunt voluntarium (cum enim intervenit, error vel dolus circa substantiam, vel circa circumstantiam substantialem rei, deest quoque illius rei cognitio; in quam idcirco voluntas ferri non potuit, cum nil volitum, quin praecognitum), sponsalium quoque valorem inficere, dicendum est. Qua super re consulatur quoque l. 2. n. 287. Quamvis autem ex dictis ibid. n. 289. vis, et metus gravis injuste incussus non tollant voluntarium, valorem tamen sponsalium quoque inficiunt, tum ex peculiari dispositione *c. cum locum*, de quo n. 288.; tum quia nemo potest obligari ad actum per se nullum, cujusmodi ob suam indissolubilitatem est Matrimonium initum per vim, vel metum gravem injuste incussum; tum quia si hoc ita initum est irritum, irrita etiam dicenda sunt sponsalia aeque inita, connexorum namque idem debet esse judicium. *Deliberata*: deliberatione scilicet necessaria ad actum humanum, qui enim vel ebrius, vel in phrenesi Matrimonium alteri promisisset, ad promissionem hujusmodi non teneretur, ac nulla essent illa sponsalia. *Mutua*: cum enim contractus sponsalium sit ultro, citroque obligans, necesse est etiam, ut promissio quoque sit reciproca. Docet quidem D. Antoninus, satis pro repromissione esse, quod altera pars Matrimonium acceptet: cum enim sponsalia sequantur naturam Matrimonii, hinc sicut acceptatio Matrimonii de praesenti includit illius repromissionem, cum valere nequeat, nisi utraque pars obligetur, ita dicendum, quod promissio unius de futuro Matrimonio alterius quoque repromissionem includat, quodque neuter manet obli-

gatus, nisi maneat uterque. Negantem tamen sententiam censet Lig. n. 836. probabiliorem, cum bene possit quis acceptare promissionem alterius, quin velit se quoque obligare: in qua hypothesi qui alteri promisisset Matrimonium independenter ab illius repromissione ad illud teneretur vi fidelitatis, non vi sponsalium. Latum autem discrimen adest inter Sponsalia, et Matrimonium, cum istud sit indissolubile, illa vero tot ob causas dissolvi possint. *Signo sensibili expressa*: verbis nempe, vel alio signo externo, quae exprimant liberum utriusque consensum in futurum Matrimonium. Hic tamen loci advertendum est, quod ex Decl. Bonif. VIII. valent sponsalia, quae Parentes, sive Pater, sive Mater, contrahant coram filiis tacentibus, et non contradicentibus; et probabilius ex Lig. n. 839., etiam filiis absentibus, si de iis a parentibus certiores facti per se, vel per nuncium, aut epistolam, non contradicant. Quod simul intelligendum pro foro externo, cum in foro interno praeter ipsorum silentium requiratur etiam internus consensus, nec secus ulla contrahitur obligatio: illa enim juris reg. 43. in 6. *Qui tacet, consentire videtur*, habet locum dumtaxat in iis, quae non sunt onerosa, in rebus enim obligationem induentibus contrarium potius praesumi debet. Atque in utroque foro erunt invalida, si alius praeter parentes contrahat: etiamsi ex Lig. n. 838. tutores, et curatores pro pupillis, et minoribus, cum id tantum de parentibus dispositum fuerit. Missio autem annuli, et munerum, quae alter recipiat, vices gerit sponsalium, ubi ita ferat consuetudo. *Futuri Matrimonii inter personas jure ha-*

biles; idest, quae nec naturali, nec alio quopiam jure contrahere prohibeantur. Hinc nedum inhabilitas naturalis, ut impotentia coeundi, etc., reddit sponsalia invalida, sed et inhabilitas legalis, ex aliquo scilicet impedimento Matrimonium vel dirimente, vel tantum impediente, cum quo aliquis absolute iniret sponsalia: cum enim Matrimonium cum impedimento dirimente non esset validum, cum impediente non esset licitum, neque etiam promissio absoluta de eodem ineundo esse potest valida, cum nemo obligari possit ad actum vel irritum, vel illicitum. Diximus *absolute*; si enim impedimentum auferri possit, bene valent sponsalia cum animo petendi dispensationem sub conditione *si Superior dispensaverit*: qua impleta, absque novo assensu sunt valida ex probabiliori cum Lig. n. 843; ubi addit, quod interim, licet non valeant ad inducendum impedimentum publicae honestatis, obligant tamen ad petendam dispensationem, si Papa in tali impedimento soleat dispensare. Sponsalia autem impuberum, modo post rationis usum contracta, sunt valida, sed post pubertatem rescindibilia, intra triduum tamen a cognito privilegio resiliendi. Idque probabiliter, etiamsi adjectum fuerit juramentum, quia hoc sortitur legem contractus; modo non fuerint inita a *pubescentibus*, idest pubertati proximis *ex c. Litteris De Spons.* Verba autem inter eos de praesenti, alioquin apta ad Matrimonium, quod ratione aetatis est irritum, valent tamen ad sponsalia; ea enim esse intelligitur mens contrahentium, ut vim habeant, quam habere possunt. An autem idem locum habeat inter puberes, qui clandestinum Matri-

monium contrahere audeant, affirmant quidam: sed repugnat communis sententia, tum ex Decl. S. C. ap. Fagn. in c. *Ad audiendum*; tum quia nulla oriri potest obligatio ex actu, qui a jure declaratur irritus, eo quod bonis moribus est contrarius. Ad valorem tamen Sponsalium non requiritur, ut in Matrimonio, praesentia Parochi, et testium; *siquidem Trid.* (ut ait Ben. XIV. *l. 7. de Syn. c.* 48. *n.* 1.) *nihil innovavit circa Sponsalia, eaque reliquit sub dispositione juris communis, juxta quod, etiam remotis arbitris, valide contrahuntur, quod habetur l.* 1. *Decret. pag.* 99., *et* 126.

360. Est autem eorum effectus, quod obligant sub gravi ad ineundum Matrimonium, cum sint promissio mutua, quae perfectum constituit contractum ex utraque parte obligatorium: et quidem vel tempore praefixo; vel hoc non praefixo, statim ac commode possit, ex l. ajente: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur. Et l. Eum qui §. Quoties, ff. de verb. obl.*, ubi: *Quod sine termino praefixo debetur, statim debetur.* Hinc sequitur, 1.° injuste resilientem, nedum graviter peccare, sed posse etiam (quod tamen non expedit) a Judice ad Matrimonium compelli: in quo casu, etiamsi a parte rei revera coactio sit injusta, si tamen Judex egerit secundum allegata, et probata, valet Matrimonium, ex Lig. n. 847. Poena autem, quae apponeretur in resilientem, esset illicita, et invalida, etiamsi juramento firmata, ex *c. Gemma de Sponsal.*, utpote minuens libertatem Matrimonii: valida tamen et licita, si in injuste resilientem; approbant enim

jura in Matrimonio libertatem rationabilem, reprobant irrationabilem. 2.° Sponsalia posteriora contra priorem fidem inita, tametsi jurata, aut etiam copula accesserit, nulla esse. Et quidem si secunda sponsa conscia fuerit priorum sponsalium, nulla sunt posteriora ex omnium sententia, quia tunc ipsa non fuit decepta, sed decipi voluit. Sicut etiam nulla sunt posteriora ex omnium sententia, si secunda contraxit ignara, et absque copula, cum fuerint promissio contra fidem alteri datam, ideoque de re illicita. Quid tamen si ignara, et cum copula? Sunt qui docent teneri sponsum ad contrahendum cum secunda, tum quia haec per corporis traditionem acquisivit jus ad Matrimonium, praesertim cum ante Trid. sponsalia transierint in Matrimonium per copulam maritali affectu habitam: tum quia dum unus agit de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potius, quam primo favendum est. At probabilius Lig. n. 848. censet, secundam promissionem etiam copula firmatam esse omnino nullam, utpote de re illicita, quia contra jus prioris sponsae, quod non adimit injuria secundae illata. Quod et dicendum, etiamsi secunda promissio fuerit firmata juramento, cum nequeat hoc esse vinculum iniquitatis. Nihil autem habet roboris 1. ratio opposita: extra Matrimonium namque nequit copula haberi maritali affectu, sed affectu fornicario. Nec altera, cum non agatur in casu nostro de contractu lucrativo, sed de oneroso, qui est ultro, citroque obligatorius. Servandum tamen est quod diximus l. 2. n. 273.

561. Quid tamen dicendum, si contradicant pa-

rentes? Qua super re certum 1.° est, quod nedum Matrimonia, sed et sponsalia contra parentum voluntatem inita sunt valida. Et quidem de Matrimoniis ita declaravit Trid. *sess.* 24. *c.* 1. contra Lutherum, Bucerum, et Erasmum. Quod probatur ex Num. c. ult.: *Nubant quibus volunt, tantum ut suae Tribus hominibus.* Ex Ap. 1. ad Cor. 7.: *Cui vult, nubat, tantum in Domino.* Ex exemplo junioris Tobiae, qui Saram duxit, insciis parentibus. Et demum, quia tria ad Matrimonii valorem requiruntur, mutuus nempe partium consensus, hujus manifestatio exterior, et reciproca corporum traditio; quae omnia, secluso etiam parentum consensu, vere, et absolute subsistunt. Idem autem de sponsalibus communiter docetur: nam *l.* 1. §. 7. *ff. de Sponsal.* ea quidem fieri prohibet, invitis parentibus, sed non irritat. Utraque tamen inire, ipsis invitis, illicitum est, nisi parentes rogati veniam injuste denegent. Quod probatur 1.° ex Scripturis, quae filiorum Matrimonia parentibus committunt et *Jer. c.* 19., ubi: *Date filiis vestris uxores, et filias vestras date viris.* 2.° ex lege civili in *Inst. de Nupt.*, ubi dicitur, quod ita *fieri debere, et civilis, et naturalis ratio suadet.* 3.° quia ita exigit honor, et reverentia parentibus debita. 4.° quia ex nuptiis contra eorum voluntatem initis gravia orirentur incommoda, et scandala. Diximus tamen *nisi parentes rogati veniam injuste denegent*: quia cum per Matrimonium homo perpetuae servituti obligetur, jus naturae postulat, ut in eo contrahendo integra libertate fruatur. Et quamvis sit de jure naturae, quod filii obsequium parentibus praestent, de

jure tamen naturali, et potiori simul est, quod in nuptiis omnimoda servetur libertas. Hinc advertendum quod diximus l. 2. n. 152. Initis tamen a filio sponsalibus, a quibus non possit juste recedere, non potest pater eum cogere ad aliam ducendam, ut docet Lig. n. 850. *in fine*: subjungens *n. sequ.*, quod habet justam recedendi causam, et recedere tenetur in obsequium parentum, idque etiamsi intercesserit defloratio sub promissione Matrimonii, si adsit notabilis disparitas conditionis, ut si vir nobilis inierit sponsalia cum filia artificis; quia in hoc casu cum promissio fuerit de re illicita, utpote quae impleri nequit, nisi cum familiae dedecore, ob idipsum fuit etiam nulla. Si tamen disparitas non sit in conditione, sed in divitiis, est haec sufficiens ratio, cur possit, etiamsi sponsa defloration*em* passa fuerit, sed non cur teneatur a Matrimonio recedere in obsequium parentum, qui nolint, et sint inde scandalum passuri: ad hoc enim cavendum obligaretur ex charitate; quae cum non obliget cum gravi incommodo, quod filius esset subiturus, si omittere cogeretur Matrimonium cum puella, cum qua sibi promittit quietam ducturum vitam, ac Matrimonium ducere cum alia, quam suscipiens non omnino ex animo, difficillime ejus conjugium, hujusque onera perferre poterit, tunc proinde, concludit Lig., filios teneri sub mortali obedire parentibus ab hujusmodi Matrimonio abstinendo, quando possint sine gravi suo incommodo: secus, non teneri; tanto magis, quia hujusmodi scandala, quamvis antea jactentur, inito tamen Matrimonio, facile evanescunt, et animi conciliantur. Addit n. 877., quod initis a filio

sponsalibus, si Pater injuste dissentiat a tali Matrimonio, nequit filius a sponsalibus recedere, et tam ipse, quam Pater peccarent, si vellent ea dissolvere: si vero Pater juste contradicat, quia nempe Matrimonium vergeret in dedecus familiae, tenetur recedere. Sive tamen juste, sive injuste Pater insuper minetur exhaeredationem, justa haec est ex parte filii recedendi causa, cum omnia sponsalia intelligantur contrahi sub conditione, *nisi talis accedat mutatio, unde grave sit Matrimonium contrahere.* Praeterquam si exhaeredatio jam fuerit praevisa, quia tunc contrahens merito censetur juri suo cessisse. Quare ex eod. Lig. l. c. simplex dissensus Parentum non est sufficiens causa solvendi sponsalia.

362. Bene dissolvuntur tamen 1.° *per Matrimonium validum cum alia initum*: quoad partem tamen, quae non contraxit Matrimonium, cum altera pars hoc ipso cesserit juri suo: absolute enim probabilius censet Lig. n. 875. quoad eam, quae contraxit, non extingui, sed tantum suspendi eorum obligationem, si altera expectet, atque hinc soluto per mortem conjugis Matrimonio inito, ad priora sponsalia teneri; prout patet in eo, qui post votum Religionis Matrimonium consummaret, quod mortua conjuge teneretur adimplere. 2.° *per mutuum utriusque consensum*; et probabiliter ex Lig. n. 855., etiamsi juramento firmata, juramentum enim in favorem alterius hanc semper imbibit conditionem, *si alter acceptet, vel non remittat.* Inter impuberes tamen, ut dictum est, non solvuntur, donec pubertatem attigerint. 3.° *per superveniens impedimentum dirimens Matrimonium* ex

parte innocentis ob supra allatam rationem, pars enim nocens tenetur petere dispensationem, cum aequum non sit, ut ex suo crimine commodum reportet, ac jus alterius violet. Et quidem si interfuerit damnum defiorationis, vel famae deperditae, etiamsi ex Lig. n. 858. magna pecuniae summa erogari deberet, nisi tanta esset, ut cogeretur a suo statu decidere. 4.° *per crimen atrox alterius*, sed nonnisi etiam ex parte innocentis ob eamdem rationem, ut fornicatio post sponsalia, etc.. Immo, ut Lig. disserit, ob fornicationem sponsae, etiamsi haec fuerit ipsa invita, ac praecesserit Sponsalia, potest vir, re cognita, resilire, quia Sponsa per talem oppressionem, licet sine sua culpa, notabiliter vilior facta est. Quod cum locum non habeat quoad Sponsum, mulier e converso nequit sponsalia rescindere ob fornicationem sponsi cum alia ante habitam, nisi ex ea prolem habuerit, vel huic vitio noscatur valde fuisse deditum. Ob fornicationem vero utriusque post sponsalia, bene ex eod. Lig. potest sponsus resilire, non vero sponsa, cum dispar sit utriusque et ratio, et damnum: sicut etiam pro aliis actionibus impudicis, si a sponsa permittantur, potest sponsus resilire, sed non vice versa, nisi adeo in sponso sint frequentes, ut merito timeri possit, fidem postea non servaturum (n. 860. 861., et 862.). 5.° *per gravem, et notabilem mutationem*, quae si ab initio fuisset cognita, a sponsalibus deterruisset. Qua super re docet Lig. n. 865., quod pars laborans occulto defectu sufficienti ad solvenda sponsalia, si defectus redderet nuptias noxias, ut infamia, lepra, morbus gallicus, aut alius contagiosus, tene-

tur manifestare, vel a nuptiis desistere, nisi etiam altera pars eodem defectu laboret; quia sicut peccat contra justitiam vendens merces noxias alteri credenti illas bonas, sic, et a fortiori qui cum pernicioso defectu velit nuptias contrahere. Si vero illas redderet tantum minus appetibiles, ut si sponsa esset pauper, quae reputatur dives; ignobilis, quae nobilis; corrupta, quae virgo (modo etiam non sit praegnans ob damnum sponsi, cui et esset dedecori, et subesset onus alendi prolem alienam), quamvis non possit virum decipere fingendo se immunem a tali defectu, non tenetur tamen illum manifestare, sed potest etiam interrogata dissimulare aequivoce respondendo, vel etiam negando esse corruptam, subintelligens *in communi aestimatione*, aut *ad aperiendum tibi*, quod non esset fingere, sed tegere vitium occultum. Ratio autem est, tum quia ita consuetudine est receptum; tum quia nemo tenetur seipsum prodere. 6.° *Si elabatur terminus sponsalibus appositus*, modo appositus fuerit ad finiendam obligationem. Et quidem pars, per quam non stetit Matrimonium contrahere, probabilius ex Lig. n. 868. remanet libera, etiamsi altera pars omiserit nuptias inire justo impedimento detenta, tum ex C. *Sicut* 22. *de sponsal.*, tum quia alias terminus frustra praefixus fuisset. Pars vero, quae culpabilem apposuit dilationem, iis remanet obnoxia, quia nemo ex iniquitate commodum reportare debet. Quod si nullus terminus fuerit iis appositus, et alter sine alterius licentia alio profectus fuerit, causa, ut docet Ben. XIV. *Not.* 46. *n.* 5., ac declaravit S. C. *die* 7. *Oct.* 1723., remittenda est

Judicis arbitrio qui, circumstantiis inspectis, vel admonebit sponsum, ut redeat infra certum tempus, vel terminum statuet, post quem sponsa remaneat libera. 7.° *Per professionem Religiosam, per susceptionem Sacri ordinis, ac votum etiam ingrediendi Religionem, vel castitatis*, etiamsi sponsalia fuerint juramento firmata, tum quia et promissio Matrimonii, et juramentum illud ineundi imbibunt semper conditionem, *nisi melior status eligatur*: tum ex Decl. S. C. *die* 5. *Mart.* 1701. Id tamen intelligendum, nisi Matrimonium esset necessarium ad legitimandam prolem, ac nisi sub ejus promissione interfuerit sponsae defloratio. Quod si votum vel ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Sacros ordines, vel servandae castitatis emissum fuerit ante sponsalia, haec utpote de re illicita, fuissent etiam irrita, quia virtus justitiae nequit obligare ad actum, qui sine peccato impleri nequit, ut et supra diximus.

363. Ad solvenda autem sponsalia ob fornicationem sponsae sufficit in foro interno, et satis probabiliter ex Lig. n. 878. etiam in foro externo unus testis fide dignus, minime de mendacio suspectus, et testans de certa scientia; sicut etiam unus testis juratus sufficit tam in foro interno, quam externo ad illa solvenda ob impedimentum aliquod sive dirimens, sive impediens, etiamsi talis testis sit criminosus, et non citatus, sed a parte productus, et etiamsi clam deponat, et sine manifestatione sui nominis, ex *C. super eod. de Test.*, *et Attest.* Ad illa autem solvenda ob aliam causam, quae det alteri jus resiliendi, requiruntur quoad forum externum saltem duo testes

fide digni deponentes sub juramento, ex *c. Veniens etc. In omni, de Test.*, in quo dicitur, duos testes requiri, ubi agitur de praejudicio tertii. Quoad forum tamen internum docet idem Lig. n. 878, quod stante opinione probabili de causa sufficienti ad solutionem, licite poterit pars innocens resilire. Qua super re advertendum quoque, quod dum causae manifestae sunt, aut omnino certae, licet occultae, opus non est Judicis auctoritate ad solvenda sponsalia; idque maxime, si causa probari nequeat coram Judice, saltem cum uno teste jurato: secus, si causa sit dubia jure, vel facto, vel ex dissolutione oriri possint scandala. Sicut etiam, quod cum defectus alterius sponsi probari quidem potest, sed est occultus, debet innocens prius alterum monere, et minari se illum Judici revelaturum: quo facto, si sponte non acquiescat solutioni sponsalium, licite potest defectum ad Judicem deferre.

Caput II.

De ratione, ac veritate Sacramenti Matrimonii, ejusque materia, forma, ac Ministro.

364. Et 1.° definitur *contractus legitimus, quo vir, et mulier sibi mutuo corpora sua tradunt ad perpetuam vitae societatem, prolis susceptionem, et concupiscentiae remedium, ad rationem Sacramenti a Christo Domino evectus. Contractus legitimus*: ex quo sequitur 1.°, ea, quae diximus de contractibus in genere *l. 2. n.* 286., *et sequ.*, aeque hinc dicenda esse de Matrimonio. Sequitur 2.° contrahi posse nedum per se,

sed et per alium, idest Procuratorem, modo 1.° adsit speciale mandatum contrahendi cum definita persona. 2.° procurator per se contrahat. 3.° mandatum non sit revocatum, neque etiam mentaliter, antequam contrahatur. 4.° procurator ostendat mandatum Parocho, et testibus, coram quibus contrahat ad formam Trid. 5.° contrahat sub conditionibus a mandante requisitis. Sequitur 3.° contrahi etiam posse per epistolam, qua sponsus scribat ad sponsam, se illi tradere in Maritum, et ex tunc eam acceptare in uxorem, et sponsa idem rescribat viro: quibus ab ambobus lectis coram Parocho, et testibus, initur Matrimonium. Quod et initur, si cum vir scripserit foeminae se illi tradere in Maritum, et acceptare illius consensum ex tunc cum illum praestabit, foemina absque eo quod rescribat, epistolam coram Parocho, et testibus aperiat, et consensum praestet.

365. *Quo vir, et mulier*; de fide enim est, polygamiam simultaneam, idest *unionem conjugalem cum pluribus simul uxoribus*, vetitam esse jure Divino post Christi adventum: quod probatur ex Christi verbis *Marci* 10.: *Propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit ad uxorem suam* (ubi notandum, non dixisse *ad uxores suas*), *et erunt duo in carne una.* Nec non ex eo quod ibidem addit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur.* Eo magis igitur moechatur, qui aliam duxerit, priore retenta. Itemque ex Ap., qui cum loquitur de Matrimonio, supponit semper unicam esse cuilibet viro uxorem. Ac demum ex Trid. *sess.* 24. *can.* 2. Vetita tamen non fuit polygamia simultanea

ante Christi adventum; idque perspicue colligitur tum ex *Deut. c.* 21., ubi: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus, ec.*; tum ex eo quod Abraham, Jacob, David, aliique veteres Patriarchae plures habuerunt uxores, nec propterea in Scripturis vel adulterii, vel ullius criminis accusantur. Id autem discriminis erat inter primam uxorem, aliasque, quae proinde in Scripturis modo uxores, modo concubinae vocantur, quod istarum filii ad haereditatem non admittebantur; quare *Gen.* 21. ait Sara ad Abraham: *Ejice ancillam* Agar, *et filium ejus, non enim haeres erit filius ancillae cum filio liberae.* Qua super re non est caeterum dissimulandum, quod licet polygamia simultanea absolute non repugnaret juri naturali, cum unus homo pluribus foecundandis uxoribus, pluriumque filiorum educationi sufficiat, eidem tamen valde minus congruebat, quam monogamia, tum ob difficiliorem numerosae prolis educationem, tum quia minus favens paci domesticae ob rixas, et zelotypias identidem nascentes inter conjuges, ut patet exemplis Sarae, et Agar *Gen.* 21.; Liae, et Rachelis, etsi sororum, *Gen.* 25.; Annae, et Phennenae 1. *Reg.* 1. Diximus, *polygam. simultaneam vetitam non fuisse ante Christi adventum*; semper enim fuit vetita polygynia simultanea, *unio scilicet conjugalis cum pluribus simul viris*, utpote ipso jure naturali illicita, quia et generationi, et educationi opposita. *Generationi*, quia varium semen masculinum est plerumque infoecundum. *Educationi*, quia patre incerto, proles ab utroque coeunte negligeretur. E con-

trario numquam fuit, nec etiamnum est vetita nec polygamia, nec polygynia successiva; ait namque Apl 1. ad Cor. 7.: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, soluta est a lege viri; cui vult, nubat.* Subjungens caeterum ad suadendam continentiam vidualem, tamquam laudabiliorem: *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium.* Ob quam rationem prohibet quoque Ecclesia, secundas nuptias benedici; non quia scilicet illicitae, ut ajebant Montanistae, et Novatiani, sed quia minus laudabiles. Hinc D. Hieron. in Apol. ad Pammach.: *Non damno bigamos, imo nec trigamos, et si dici potest octogamos. Sed quomodo non damnantur istae nuptiae, ita nec praedicantur.*

366. *Sibi mutuo corpora sua tradunt*: materia enim remota hujus Sacramenti sunt *corpora contrahentium mutuo tradenda, sive jus mutuum in corpus alterius*; ejus vero materia proxima *ipsa hujus juris traditio per verba, seu signa consensum exprimentia*; ex quo sequuntur duo: 1.°, quod cum hujusmodi juris radicaliter incapaces sint, qui absoluta impotentia laborant, nec etiam inter eos consistere Matrimonium potest. 2.° quod bene istud consistere potest absque corporum commixtione, seu carnali copula, quia usus rei, de qua contrahitur, non pertinet ad essentiam contractus, sed est quid illam consequens, ac velut ejus effectus. Sic emptor, etsi non seminet in agro, quem emit, illius tamen verus est Dominus, et potestatem habet eo utendi absque cujusquam injuria. Aeque igitur perficitur Matrimonii contractus eo ipso,

quo conjuges sibi mutuo tradunt potestatem in sua corpora, etsi postmodum ea numquam utantur, nec usuri sint; ac solum si ea conditione contraherent, ut neuter potestatem in alterius corpus haberet, nullum esset Matrimonium. Beata Virgo autem vera fuit D. Josephi conjux, quamvis Virgo semper permanserit, immo et perpetuam Virginitatem Deo antea vovisset (secus enim ejus verbis: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* (*Luc.* 1.), facile responderi potuisset: *Virum, quem nondum cognovisti, mutato proposito, cognosces*), quia, ut DD. inquiunt, etsi per conjugium potestatem sponso tradiderit in proprium Corpus, cognoverat antea per Divinam revelationem, numquam eum potestate hujusmodi usurum fore. Vel, ut censet Alap. in h. l.: *Ipsa Josepho votum suum declaravit, ac Josephus in voti observationem consensit, eamque promisit, antequam ei nuberet.*

367. *Ad perpetuam vitae societatem, prolis susceptionem, et concupiscentiae remedium*, qui sunt Matrimonii fines. Hinc nubere ob quemvis ex praefatis finibus, etiamque praecipue ad remedium concupiscentiae, nullum est peccatum, cum aeque sit finis honestus ineundi Matrimonium: quare Ap. 1. ad Cor. 7.: *Bonum est, hominem mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquaeque suum virum.* Nubere autem vel ob carnis voluptatem, vel ob cupiditatem divitiarum, vel ob inanem gloriam, illicitum esset, etsi leviter, cum non sint hi fines honesti, ut diximus l. 4. n. 15.

368. *Ad rationem Sacramenti a Christo Domino evectus*: idque juxta communiorem sententiam, cum, ut habetur *Matth.* 19., ejus indissolubilitatem sancivit; suavi siquidem ejus providentiae congruum erat, ut tunc ad hanc legem adeo observa tu difficilem observandam, gratiam Sacramentalem promitteret, et conferret: estque haec aliud conjugii bonum, ut D. Aug. advertit, in quod illud iniens ferri potest.

369. Probatur vero esse Sacramentum ex eo quod, ut de aliis Sacramentis diximus, si in eo habetur signum sensibile rei sacrae, gratiae per illud collatio, et Christi institutio, habetur quoque in eo omnis Sacramenti ratio, ideoque dicendum est Sacramentum. Habetur autem in Matrimonio fidelium 1.° *signum sensibile rei sacrae*, unio enim conjugalis, propter quam vir ex Ap. *ad Eph.* 5. debet relinquere patrem, et matrem, ut uxori suae adhaereat, procul dubio est quid sensibile: eaque est signum simul rei sacrae, subdit namque immediate idem Ap.: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo, et in Ecclesia.* Idest, ut DD. interpretantur: *Unio conjugalis Sacramentum magnum est, non quidem in se praecise spectata, sed quatenus refertur ad Christum, et Ecclesiam, tamquam ad terminum, et rem significatam.* 2.° *Gratiae per illud collatio*; signum namque, vi cujus sponsi capaces fiunt charitatis praestantissimae, gratiae maximae productivum esse debet. Sponsi autem vi Matrimonii, prout est signum unionis Christi cum Ecclesia, capaces fiunt charitatis praestantissimae, illius enim vi possunt, et tenentur ex eod. Ap. l. c. *sese diligere, sicut et Christus Ecclesiam, qui seipsum tradidit*

pro ea, ut illam sanctificaret. 3.° *Christi institutio*, utpote qui est solus gratiae auctor, et collator. Omnia ergo in eo habentur, quae ad Sacramenti rationem requiruntur. Hinc Trid. *ses.* 24. *c. unic. de Matr. can.* 1.: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem Legis Evangelicae Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum.. anathema sit.* Nec quis dicat, quod si Matrimonium esset Sacramentum, dicendum quoque esset praestantius continentia, quia majorem gratiam pareret. Continentia autem praestantior est Matrimonio, ajente Ap.: *Si quis Matrimonio jungit Virginem suam* (idest *Virginem suam carnem*, ut D. Method. interpretatur, et contextus ostendit), *bene facit, ex qui non jungit, melius facit* (1. *ad Cor.* 7.): Ergo .. Resp. enim *neg. sequ. maj.*, ut namque Matrimonium sit Sacramentum, necesse non est, quod majorem pariat gratiam, quam aliud quidpiam non Sacramentale, cum Martyrium, quamvis non Sacramentum, gratiam tamen cujusvis culpae, ac poenae deletivam pariat, ex dictis n. 43, et 44, quam Poenitentiae Sacramentum non semper parit ex Trid. *sess.* 6. *c.* 14.: sed sufficit, quod pariat gratiam, quam non pareret, si esset contractus mere naturalis. Porro Matrimonium pie a fidelibus susceptum est semper gratiae productivum; ideoque, ut Bellarm. scribit, *continens dum contrahit Matrimonium, crescit in gratia. Quamvis si idem continens propter Deum nuptias contempsisset, plus gratiae apud Deum invenisset, quam sit illa, quae per Sacramentum Matrimonii datur.*

370. Quaenam autem sit ejus materiata et remota,

et proxima, diximus paullo supra, ex quo sequitur, ejus formam esse *mutuum consensum sponsorum per verba, vel signa de praesenti, quibus exprimant acceptare potestatem in corpus alterius.* Consensum tamen non verbis, sed nutibus exprimere esset veniale, nisi verecundia, vel alia justa causa excuset. Datus vero sub conditione, si haec sit de praeterito, vel de praesenti, stante conditione, sufficit ad Matrimonium: uti et sufficit sub conditione impossibili, vel necessaria de futuro, nisi contrahens intendat differre Matrimonium usque ad eventum necessarium. Sub aliis vero conditionibus de futuro, si ea sit turpis, ex contra substantiam Matrimonii, tunc utique nullum reddit Matrimonium; ut ex. gr.: *Volo te, si adulterabis*: sicut etiam si quis illud contraheret, intendens esse solubile, eo animo, quod si sciret esse insolubile, non contraheret; non vero ex Lig. n. 24., si tantum per errorem putaret esse solubile, quia error privatus non tolleret ei intentionem generalem contrahendi modo, quo debet. Si vero non repugnet substantiae Matrimonii, in foro quidem externo consensus censetur absolutus, et conditio habetur pro non adjecta; ut ex. gr.: *Volo te, si Patrem occideris*: sed in foro interno, si revera deficiat consensus, Matrimonium est nullum. Quod si conditio de futuro sit honesta, facit quidem sponsalia, sed non Matrimonium, utpote quod exigit consensum de praesenti; atque hinc, conditione impleta, non valet Matrimonium, nisi accedat novus consensus, ex sententia multorum; cum enim Matrimonium, nedum sit contractus, sed et Sacramentum, hinc perinde ac cae-

tera Sacramenta debet statim esse vel validum, vel nullum: aliis probabilius negantibus cum Lig. n. 895., quia Matrimonium, esto sit etiam Sacramentum, habet simul rationem contractus; omnesque contractus, impleta conditione, sine novo consensu perficiuntur, ex *l. Haec venditio. 7. ff. de contrah. empt.* . Subjungit tamen, consultius esse eo casu iterum contrahi Matrimonium.

371. Quod Minister demum hujus Sacramenti non sit Sacerdos assistens, nec forma ipsius verba: *Ego vos in Matrimonium conjungo*, ut docent Can., Conc., Tourn., Habert. ec.; sed sint ipsi contrahentes, ac forma eorum verba, quibus consensum exprimunt, ut docent D. Th. Bell., Suar., Cabass., Barb., Fagnan., Gotti, etc., cumque iis Lig. 897. probatur 1.° ex Flor., ubi: *Septimum est Sacramentum Matrimonii. Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* Idem autem dictu est, quod contrahentes per consensum verbis expressum sunt causa efficiens Matrimonii, ac quod ipsi sunt Ministri non solum contractus, sed etiam Sacramenti, quod Concilium suscipit explicandum, dicens: *Septimum Sacramentum etc.*, Ministri enim cujusvis Sacramenti sunt, qui applicando formam ad materiam, Sacramentum efficiunt: ergo. Nec moveat illud *regulariter*: per hoc enim significari, quod necessarius consensus potest quoque exprimi per nutus, ex eo patet, quod causa efficiens Sacramenti eadem *semper* non vero *regulariter* esse debet. 2.° ex Trid. sess. 24. c. 1., ubi: *Dubitandum non est, clandestina Matrimonia libero contrahentium consensu facta rata, et*

vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. Matrimonia autem fidelium nequeunt dici rata, nisi sint Sacramenta, cum enim Christus evexerit Matrimonia fidelium ad rationem Sacramenti, inseparabilis est in Matrimoniis fidelium ratio contractus a ratione Sacramenti, nec proinde esse possunt rata, nisi sint Sacramenta: ergo. 3.° ex Trid. sanctione ibid. *Qui aliter, quam praesente Parocho.. contrahere attentabunt, Concilium inhabiles reddit, et hujusmodi contractus nullos esse decernit.* Porro si Parochus esset Sacramenti Minister, praeter Parochi praesentiam exigere debuisset prolationem verborum, ac dicere: *Qui aliter, quam praesente Parocho, et verba proferente etc.* Non igitur ejus verba de Sacramenti essentia, ideoque nec ejus Minister. 4.° ex eo, quod ibidem subdit: *Parochus, viro, et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo etc.; vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciae ritum.* Si autem Conc. reputasset Parochum Matrimonii Ministrum, ejusque verba Sacramenti formam, pro hac sane nec praescripsisset, nec potuisset praescribere quaecumque verba *juxta receptum etc.*: ergo. .; utque Pallav. scribit *in Trid. Hist. l.* 23. *c.* 14., evidenter hoc argumentum conficit, quod non Sacerdos, sed sponsi hujus Sacramenti Ministri sunt. 5.° ex Ben. XIV., qui idem docet, nedum ut Doctor privatus *l.* 7. *de Syn. c.* 28., sed ut Pontifex in Decretali, seu Epist. ad Archiep. Goanum, cujus initium *Paucis ab hinc hebdomadis*, dicens, quod hujus Sacramenti *materia est mutua corporum traditio verbis, aut nutibus assensum exprimen-*

tibus, *et mutua corporum acceptatio forma.* Qui autem in Sacramento formam materiae applicat, ille etiam est Sacramenti Minister: ergo.. 6.° ex Decr. S. C. Conc. *ap. Farinac.*, quae ad quaesitum: *Quid si Parochus adfuisset, nihil tamen eorum, quae agebantur, vidit, vel audivit, utrum tale Matrimonium sit nullum?* Respondit: *Matrimonium non valere, si non intellexisset; nisi ipse Parochus affectasset non intelligere.* Et ap. Fagn. *in C. quod nobis de cland. Desp. n.* 4. declaravit valere, *etiamsi Parochus nihil proferat.* 7.° ex praxi Ecclesiae in revalidandis conjugiis jam coram Parocho, et testibus prius initis, sed invalide propter occultum impedimentum; in quibus S. Poenit. ex oraculo Pii V. dispensando minime requirit, immo expresse dicit, quod revalidentur secreto, sine assistentia Parochi, et testium; quod et docet prae aliis Ben. XIV. l. c. ex pluribus Decl. S. C., et Decision. Rotae Rom.. Porro, ut idem Ben. sapienter disserit, nisi Ecclesia haberet pro certo, quod Ministri hujus Sacramenti sunt ipsimet sponsi, profecto non permitteret relinqui in periculo, quod absque Sacramenti gratia remanerent. Diximus *propter occultum impedimentum*; declaravit enim eadem S. C. *die* 8. *Jun.* 1619., quod si Matrimonium fuisset nullum ex causa publica, scilicet ob defectum aetatis, tunc revalidandum esset coram Parocho, et testibus (*ap. Ferr. V. Matrim. n.* 19.). 8.° ex ipsa contractuum natura, quod per consensum contrahentium fiant. Non aliud autem est Sacramentum, de quo agimus, quam contractus ad rationem Sacramenti evectus: Illius igitur non alios Ministros Christus instituit, quam

ante adhibitam diligentiam ad vincendum dubium debitum petere, sed potest, et tenetur illud reddere conjugi in bona fide petenti, etiamsi dubium versetur circa mortem prioris conjugis, tum ex *C. Dominus de sec. Nupt.*; tum ex *C. Inquisitioni de sent. excomm.*, scilicet, *ne contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiae committat offensam.* Idque, ut addit Lig. n. 903., etiamsi adsit opinio probabilis pro invaliditate secundi Matrimonii, et nulla pro valore: quod probat 1.° ex C. supra relato, ubi dicitur, quod ut conjux dubitans reddere non teneatur, necesse est, quod *certo sciat impedimentum conjugii*; quodque *cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, et discreta*, sed *non evidenti, et manifesta, debitum reddere potest, sed postulare non debet.* 2.° quia alter conjux possidet per Matrimonium initum jus petendi; quo privandus non est, nisi certo constet de Matrimonii nullitate. Excipiendum tamen ex eod. Lig. primum bimestre, in quo ante praemissam diligentiam nec etiam potest reddere, etsi petens sit in bona fide, quia eo tempore alter non habet jus petendi. Quod et dicendum, si hoc alter sit privatus per incestum, vel per adulterium. Post adhibitam tamen diligentiam ad vincendum dubium, ipse conjux dubitans, si illud vincere non potuerit, potest ex longe communiori, et probabiliori sententia, ut ait Lig., n. 904., et reddere, et petere: licet enim, dubio superveniente, suspendatur jus possessionis usquedum veritas inquiratur, dubio tamen remanente post diligentiam, cum ignorantia sit tunc invincibilis, manet possessio pro valore Matrimonii, ideoque et pro il-

lius usu ; possessor enim bonae fidei , sicut post diligentiam potest rem retinere , sic etiam potest illa uti. Idque , subdit n. 905. , satis probabiliter, etiamsi rationem habeat probabilem pro nullitate Matrimonii, et nullam pro valore , quia possessio praebet ei jus certum petendi, quod praevalet post diligentiam cuicumque probabilitati oppositae, quae cum formidinem includat , et ad certitudinem non pertingat , auferre nequit legitimam praesumptionem validitatis Matrimonii ex ipsa possessione conjugii bona fide initi. Quod et censet n. sequ. satis probabile pro ipso conjuge , qui cum dubia fide Matrimonium inierit ; tum quia sicut in foro externo judicandum est in dubio pro valore Matrimonii, ex *c. fin. de Sent.*, *et re judic.*, ita et in foro interno, qui conformari debet externo, quando hoc non nititur falsa praesumptione. Excipiendum solum quoad eum, qui Matrimonium inierit cum dubio de impedimento, si istud fuerit de morte prioris Conjugis , de qua donec certo constet , vel tanta saltem habeatur praesumptio , quae moralem constituat certitudinem , potest reddere , sed non petere ; et quia petendo committeret se periculo inferendi injuriam priori conjugi ; et quia pro eo semper possidet prius Matrimonium , donec certo constet , fuisse solutum.

373. Illicitus 2.° est conjugii usus, si afferat grave periculum vitae , vel sanitatis amittendae; uti esset ex Lig. n. 909. statim a balneis, aut sectione venae, vel si conjux laboret febri , aut morbo venereo , phtisi , aut alio contagioso : in quo casu nec sano licet petere, cum nemo sit Dominus suae vitae, et valetudi-

nis, nec infecto licet reddere ob damnum conjugis. In coeundo autem cum uxore praegnante nullum adesse periculum abortus nec circa initium conceptionis, nec postea, nec tempore partui proximo, docet idem Lig. n. 924.; passim enim conjuges tali tempore coeunt, nec tamen inde sequuntur abortus; ex quo colligendum, 1.° quod usque dum experientia non constet, aliquam mulierem ex coitu pluries foetum emisisse, non est abortus periculum praesumendum: 2.° non esse conjuges vexandos importunis interrogationibus, ut praegnationis tempore se contineant, quae enim spes eos avocandi a concubitu, et quale non timendum periculum, si a sua bona fide perturbentur? Negandum tamen non est ex eodem esse veniale: sicut etiam veniale esse coire tempore menstrui sive ordinarii, sive extraordinarii, vel purgationis post partum (nisi coitus habeatur statim post partum, eodem nempe die, vel sequenti, in quo esset mortale); nam lex Lev., quae utroque tempore id vetabat c. 12., et 20., non amplius post Evangelium obligat; et aliunde coeuntes tam mestrui, quam puerperii tempore vel non prolificant, quia mulier tunc temporis valde probabiliter non concipit; vel nullum proli inde imminet damnum; vel si aliquod damnum ei evenit, melius demum est, prolem nasci cum aliquo vitio, quam non nasci, forte enim postmodum, vel non esset eadem, vel prorsus non gigneretur. Quod autem semen tali tempore verisimiliter suo fine frustretur, nec etiam obstat, quia non sequitur per se ex actu, uti etiam non obstat in accessu ad sterilem. A praefato autem veniali excusantur quoque ex eodem, si coeant

ad vitandum incontinentiae periculum, vel ex alia causa rationabili (n. 925., et 926.): quodque ab eo etiam vacant coeundo et lactationis tempore, et in diebus solemnibus, vel jejunii, vel Rogationum (n. 911., et 923.).

374. Illicitus 3.° est conjugii usus, si fiat modo naturae indebito: qui si consistat in non servando vas debitum, est grave sodomiae peccatum, ex dictis l. 2. n. 213.: de quo et Lig. damnat virum, qui incipiat copulam in vase praepostero, ut postea in vase debito eam consummet, quia ipse hujusmodi coitus, etsi absque seminatione, est vera sodomia, quamvis non consummata, sicut ipsa copula in vase debito mulieris alienae est verum adulterium, licet seminatio non adsit. Immo et ipsum perfricare virilia circa vas praeposterum uxoris damnat quoque de mortali, quia moraliter esse nequit saltem sine affectu sodomitico (n. 916.). Si vero consistat in coeundo situ, et ratione minus apta, et naturali, ut sedendo, stando, de latere, praepostere, vel viro succubo, et muliere incuba, non excedit venialem culpam ex eod. Lig., nisi adsit periculum effusionis seminis, ac nisi fiat ex aliquo affectu graviter interdicto, puta bestialitatis, aut sodomiae: quia ex una parte, licet adsit aliqua inordinatio, haec tamen tanta non est, ut ad mortale pertingat, cum solum versetur circa accidentia copulae; et ex alia mutatio situs generationem non impedit, cum semen viri non recipiatur in matricem mulieris per infusionem, seu descensum, sed per attractionem, quia scilicet ex se, et naturaliter illud attrahit. Diximus *nisi adsit etc.*; si enim experientia con-

staret, quod, mutato naturali situ, nihil seminis foemina retineret ob nimiam vasis laxitatem, vel humiditatem, vel infirmitatem, proculdubio esset mortale (n. 917.). Qua super re consulatur etiam quod diximus l. 2. n. 205.

375. Est ne tamen grave contra naturalem coeundi modum seminationem, incoepta jam copula, cohibere? Respondet Lig. n. 918., quod si ambo conjuges in hoc consentiant, nec adsit periculum seminandi extra vas, id per se loquendo non est mortale; illa enim penetratio vasis foeminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui secluso pollutionis periculo, non reputatur mortale inter conjuges. Quia tamen ordinarie adest periculum ex tali retractione effundendi semen, ordinarie etiam est mortale, nisi conjuges experti sint oppositum; quo tamen casu nullatenus a veniali excusari possunt. Si vero vel vir, vel foemina se retrahit sine alterius consensu, vel cum jam vir, vel foemina seminaverit, vel sit in probabili dispositione seminandi, certe graviter peccaret, si alter se retraheret, nisi id esset ob periculum mortis, vel scandali aliorum: in 1.° casu, quia alterius jus violaret: in altero, tum quia semen prodigeretur; tum quia cum valde probabile sit, ut docent ex TT. Suar. Sanch. etc., et ex Medicis Hyppocrates, Galenus, aliique, non solum semen viri, sed illud etiam mulieris necessarium esse, vel saltem multum conferre ad generationem, nihil quippe a natura frustraneum agitur; hinc, nisi mixtio seminum sequatur, impeditur generatio; quod gravem imbibit deordinationem. Quaerit proinde Lig. n. sequ., an si vir se retrahat ante

seminationem mulieris, possit haec statim tactibus se excitare, ut seminet? Quod etsi negent non pauci, ipse tamen affirmat: quia seminatio mulieris pertinet ex dictis ad complendum actum conjugalem; unde sicut potest uxor tactibus se praeparare ad copulam, iis se excitando, ut seminet in congressu maritali statim habendo, ita iisdem poterit copulam perficere. Omnes tamen docent, id esse vetitum viro, casu quo mulier postquam ipsa seminasset, se retraheret, ac vir maneret irritatus, quia esset inanis seminis effusio, ac nonnisi pollutio.

376. Illicitus 4.° est conjugii usus, et quidem graviter, si exerceatur mente adultera; ut si dum vir accedit ad suam, immaginetur aliam, ut animum pascat: uti etiam bigamus, qui in actu conjugali cum secunda repraesentet sibi priorem, et de ea carnaliter delectetur. Immo advertit Lig. n. 913., damnandum quoque esse conjugem, qui se ad copulam excitaret, vel se delectando de pulchritudine alterius personae, etiamsi absque affectu turpi, vel respiciendo ad imagines diversi sexus, maxime si essent sacrae, quod esset quoque mortale ob gravem irreverentiam.

377. Illicitus 5.° est conjugii usus, si ob senectutem, vel aliam dispositionem plerumque accidat, quod semen extra vas effundatur. Et quidem, si nulla adsit spes probabilis seminandi intra vas, procul dubio est illicitus: si vero adsit hujusmodi spes, probabiliter adhuc licet ex Lig. n. 954., quia semper ac adest talis spes, habent conjuges jus ad copulam; et si semen effunditur, hoc per accidens evenit.

376. Illicitus demum est, at non plus, quam le-

viter, conjugii usus ob solam voluptatem, cum haec non sit finis honestus. Quare Innoc. XI. proscripsit prop.: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

378. Ex dictis autem sequitur, tactus, et alia hujusmodi inter conjuges, ut se excitent ad copulam proxime secuturam, tamesi turpes, et cum periculo pollutionis utique iis licere: quia cui licitus est finis, etiam licent media; et cui licet consummatio, etiam licet inchoatio, tametsi pollutio per accidens copulam praeveniat. In se autem, et sine ordine ad copulam, si actus sint turpes, et cum periculo pollutionis, probabilius cum Lig. dicendum, quod sint mortalia tam in petente, quam in reddente, cum eatenus inter eos liceant, quatenus quaeruntur intra limites Matrimonii, et quatenus nihil inde sequitur repugnans fini, et institutioni seminis, quod deest, cum hoc praevidetur disperdendum. Si vero absque periculo pollutionis solum venialia; tum ratione status, qui inter conjuges illos aliquo modo cohonestat: tum quia secus, cum tanta inter eos sit societas, et multoties coire nequeant, jugibus periculis essent expositi, nec Matrimonialis status esset assumentibus in remedium, sed in laqueum, si tales actus essent iis graviter illiciti. Quod si actus sint pudici, ut oscula, amplexus, etc., in hoc casu cum periculo pollutionis in se, vel in altero sunt mortalia, si habeantur ob solam voluptatem, vel ob levem causam, ex ratione supra allata; secus, si ob causam gravem, ut conjux ex gr. desinat sinistre suspicari contra Matrimonii fidem, ec., ex ratione allata l. 2. n. 210. Semper tamen judicat Lig. mortale immittere

pudenda in os uxoris ; tum quia in hoc actu ob calorem oris adest proximum periculum pollutionis; tum quia quaerere aliud vas praeter naturale ad copulam institutum videtur species luxuriae contra naturam. Quamvis autem Sanch. damnet quoque de mortali virum , qui in actu copulae immittat digitum in vas praeposterum uxoris , dicens , in hoc actu adesse affectum ad sodomiam : censet tamen quoad hoc Lig., graviter quidem increpandos conjuges hujusmodi foedum actum exercentes , affectum vero ad sodomiam posse in tali actu reperiri , sed per se loquendo non esse illi insitum (n. 932., et seq.) Quidquid demum dicant Salm., tactus turpes , quos conjux cum seipso habeat sine ordine ad copulam proxime secuturam , etiam secluso pollutionis periculo , damnandi sunt ex Lig. n. 936. de mortali : tactus enim pudendorum cum fiunt morose, et cum commotione spirituum , per se ad pollutionem tendunt , suntque proxime connexi cum ejus periculo. Atque haec satis de honestate actus conjugii.

379. Ejus vero sive petitionem , sive redditionem aliquando obligare etiam sub gravi, DD. consentiunt: 1.° enim uterque tenetur usum conjugii petere , si alter est in periculo incontinentiae , ad illum nempe e tali periculo eripiendum; probabilius tamen juxta Lig. ex charitate tantum , non vero simul ex justitia, quia ubi nulla adest petitio alterius conjugis expressa , vel tacita, nulla adest justitiae obligatio ad reddendum. Bene tamen , ut subdit , ad id tenetur, etsi a petendo prohibitus ratione voti , vel affinitatis, aut cognationis spiritualis post Matrimonium contractae ,

quia obligatio isthaec ex ipsa institutione Matrimonii oritur. 2.° vir tenetur petere, *quando* (ut ait D. Th) *percipit per aliqua signa, quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet* (*suppl.* 3. *p. qu.* 44. *a* 2.): mulier tamen nonisi cum vir expresse petat; praeterquam si ei evidenter constet, quod vir petere erubescat, puta quia ipsa maximae auctoritatis, vel asperae conditionis, et vir valde pusillanimis, et verecundus (n. 928., et sequ.). Illum vero uterque tenetur reddere alteri, quoties hic serio, et instanter illum petat; idque sub gravi, cum res sit gravis, et ex justitia debita. Modo absit tamen incontinentiae periculum, excusatur non reddens a mortali, 1.° si saepe petenti semel, vel bis se negaret, ob levitatem materiae. 2.° si vir benevole, et remisse petat; vel, etsi instanter, precibus tamen non importunis negantis cedat. 3.° si petens esset immoderatus, puta quater in eadem nocte. Non est tamen sufficiens causa negandi debitum, quod plures nascantur filii, quam ali possint; vel enim conjux ut Lig. disserit n. 941. negaret diu, vel aliquando. Si diu, id esse non posset absque incontinentiae periculo: si aliquando, frustra negaret, nam conjuges rarius coeundo, facilius concipiunt. Nec etiam est causa sufficiens negandi debitum, quod alter petat cum peccato proprio. Distinguendum namque hic est, quod si culpa se habet ex parte actus, ut si alter petat in loco sacro, vel publico, vel cum periculo abortus, vel sanitatis propriae, vel alterius, in hoc casu, cum actus sit per se malus, conjux nec tenetur, nec potest reddere. Si vero culpa se habeat ex parte peten-

tis, ut si petat obstrictus castitatis voto, vel ob pravum finem, vel animo seminandi extra vas post copulam incoeptam, etc.: in hoc casu, quamvis multi doceant, quod alter non tenetur reddere, quia conjux non habet jus, nisi ad usum licitum Matrimonii; nec potest, quia cooperaretur peccato alterius: probabilius tamen censet Lig., quod, postquam monuerit petentem, ut a petitione desistat, modo id possit absque periculo magni dissidii, vel indignationis, vel incontinentiae alterius, quae ut plurimum adsunt, et potest, et tenetur reddere: quia esto conjux petens non habeat jus ad petendum cum peccato, habet tamen jus ad actum conjugalem, qui per se est honestus; ex quo sequitur, quod alter reddendo nec peccat, quia dat operam, non alterius peccato, sed actui licito; nec negare se potest, quia actus per se est ex justitia debitus. Prout si quis (addit Lig.) vovisset non exigendi a te pecuniam debitam, si postea hanc petat, non potes non reddere, quia debes rem reddere Domino, et non reddendo actum injustitiae committeres. Notandum tamen 1.° cum eod. Lig., quod in casu, de quo agitur, si conjux petat in primo bimestri, alter nec tenetur, nec potest ei reddere, cum tali tempore non habeat ille jus ad petendum. 2.° quod si conjux sit a petendo impeditus ratione affinitatis, vel cognationis spiritualis, in hoc casu non tenetur conjux debitum reddere, cum alter ratione affinitatis, vel cognationis spiritualis, jus petendi amiserit, sed potest: cum enim conjux habeat jus petendi, jus quoque reddendi habere, dicendum est, quia alioqui et grave onus subire deberet (ma-

xime uxor) semper petendi, et anxius semper esset, ne forte moveatur ad usum conjugii ex tacita petitione alterius, quod ei non liceret, potius quam ex optione propria, quod ei liceret. In casu tamen, quod conjux sit ex hac, vel voti causa a petendo impeditus, tutius erit, ut conjux innocens tunc ipse petat. 3.° quod viro volenti seminare extra vas post copulam incoeptam, ut non raro accidit, probabilius quidem est, ut diximus, quod uxor non solum potest, sed et teneatur reddere: nec tunc uxor cooperatur seminationi extra vas, sed tantum copulae incoeptae, quae per se omnino utrique est licita. Non tamen potest debitum petere, nisi adsit justa, et gravis causa, quia ex charitate tenetur viri peccatum impedire. Justam autem habere petendi causam, docet Lig., si ipsa esset in periculo incontinentiae, vel si alias privari deberet jure petendi plus quam semel, vel bis cum perpetuo scrupulo, an ei sit, necne satis grave incommodum tunc se continere (n. 943., et sequ.).

380. Quibus addendum, quod nec etiam conjux tenetur reddere, si petens sit ebrius, vel amens, quia uterque nec est capax usus dominii, nec petit cum ratione, et humano modo. Praeterquam 1.° si petens esset in periculo prodigendi semen, quia licet ob rationis usus defectum non peccaret, esset tamen in eo impediendus actus materialiter malus. 2.°, si quis non esset universe amens, sed in una tantum, vel altera materia; vel si esset tantum fatuus, non vero omnino mente captus; vel demum petat dum lucidum intervallum habet. Tam ebrio tamen, quam amenti et reddere licet, et petere, modo absit peri-

culum scandali, vel abortus; cum possit proles educari a conjuge sanae mentis. Item uxor non tenetur reddere, si experta sit, non posse parere sine probabili periculo mortis, nequit enim solutio debiti cum tali periculo obligare. Quod et dicendum, si experta sit filios parere mortuos, quia ex morte prolis exponitur quoque Mater gravi mortis periculo. Immo nec etiam posse reddere in utroque casu, docent non pauci, nisi, ut alii excipiunt, periculum incontinentiae excuset (Lig. n. 953.).

381. Huc demum spectat advertere, quod ex multorum sententia mortaliter peccat uxor, si statim post copulam mingat, vel surgat, vel aliud faciat animo, ut semen receptum expellat, cum sit actus contra naturam; non vero, si id faciat ex necessitate vitandi vel mortis periculum, vel aliorum scandalum. Omnes tamen conveniunt, opus non esse, ut uxor post copulam diu immota, et supina maneat, quippe quod intra breve tempus matrix semen attrahit, et arctissime clauditur. Sicut etiam hic advertit Lig. n. 954., quod quamvis puella violenter oppressa nequeat semen immissum expellere, ne concipiat, cum etiam sit actus contra naturam; bene tamen potest, immo et tenetur, dum sit oppressa, se vertere, et coitum interrumpere, quamvis semen viri esset inde extra vas effundendum; tunc enim non expellitur semen immissum, sed impeditur, ne immittatur, et quodammodo repellitur, tamquam violentus honoris aggressor.

Caput IV.

De indissolubilitate Matrimonii; causisque divortii quoad thorum.

382. Omnes conveniunt, teneri conjuges ad cohabitandum in eadem domo, mensa, et thoro; nec posse conjugem, altero invito, alio discedere ad longum tempus, nisi, ex justa causa, prout publici boni, vel familiae alendae. Omnes quoque conveniunt, posse ex mutuo consensu invicem separari, modo absit incontinentiae periculum, nec ullum afferatur detrimentum prolis educationi; monet enim Ap. 1. ad Cor. 7.: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas.* An autem liceat viro non habitare cum uxore, quae promissam dotem non solvit; et an eam alere teneatur? Resp. cum Lig. n. 938. negative quoad 1., eo quod obligatio conjugum simul habitandi oritur ex ipsa lege naturali, et Divina, qua vir tenetur debitum reddere uxori, et ideo cum ea habitare. Quoad 2. vero, non teneri virum ad alendam uxorem, quae cum posset solvere dotem, non solvit, nisi uxor famulatum viro praestet, ratione cujus ali a viro debeat.

383. Quibus praemissis: licere ex causis infra dicendis divortium quoad thorum, idest *separationem conjugum quoad cohabitationem, mensam, cubile*, extra dubium est: divortium tamen quoad vinculum, idest, *separatio hujusmodi, ut ipsum Matrimonium*

solvatur, dicimus, quod numquam licuit: Pharisaeis namque ajentibus Matth. 19. *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?* Respondit Christus: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*: ut nempe explicat Hier. in c. 5. Matth.: *Non dissidium concedens, sed auferens homicidium.* Praeiverat Chrysost. tr. de Virg. *Cedo enim utrum praestat invasam domo ejici, an intra parietes jugulari? Quod fecissent, si non eis ejicere licuisset.* Hinc cum Moyses id egerit, minus malum permittendo ad vitandum majus, an non permissio istiusmodi, ait Aug. de bono conjug. c. 8., *exprobratio divortii magis, quam adprobatio?* Neque enim subdit idem Aug. l. 1. c. 25. de Serm. Dom. in monte, *qui praecepit dari libellum repudii, hoc praecepit, ut uxor dimittatur; sed qui dimiserit, inquit, det ei libellum repudii, ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret.* Sive, ut addit l. 19. cont. Faust. c. 26.: *Utique nolebat dimitti uxorem a viro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus praeceps, libelli conscriptione refractus, absisteret, et, quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret.* Quod demum si Judaeis licuisset, nec eos Deus exprobrasset per Mich. 2: *Mulieres populi mei ejecistis de domo. Surgite et ite, quia non habetis hic requiem.* Et per Malach. 2: *Non respiciam ultra ad Sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis: Quam ob causam? Quia Dominus testificatus est inter te, et uxorem pubertatis tuae, quam tu despexisti.* Nec Deut. 24. diceretur, quod *cum egressa alterum maritum duxerit, polluta est, et abominabilis facta est coram*

Domino: quae verba, ut praeclare advertit Laur. Berti, de sola *pollutione legali* nequeunt accipi, cum simili phrasi ap. Ezech. 33. 26. pollutae dicantur adulterae, et Jeremias 3. 2. repudiatam comparet fornicariae. Ait proinde Christus l. c. *Qui fecit hominem ab initio, masculum, et foeminam fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Trid. vero sess. 24. *can.* 5. ait: *Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.* Ex quibus, Matrimonium semper fuisse quoad vinculum jure divino indissolubile, consequens est. Cujus sententiae sunt quoque D. Bonav.; Estius, Sylvius, Berti, aliique.

384. Immo et de ipso jure naturali hujusmodi esse, probatur 1.° ex eo quod, ipsa suggerente natura, et antequam Deus ullum quoad hoc dedisset mandatum, *Matrimonii* (ut inquit Trid. sess. 14.) *perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis Parens pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os etc.* 2.° quia ipsis Ethnicis Romanis extranea fuerunt divortia, teste Val. Max. l. 2. c. 1., per sexcentos annos; post quos primus omnium uxorem repudiavit spurius *Carvilius*; ipsa profecto natura ab iis refugiente. 3.° quia ad honestatem, et felicitatem Matrimonii requiritur animorum conjunctio; quae frigescit, cum uni liberum est ab altera discedere; fovetur per unionem, quae conjuges perpetuo devincat, ac ligat. 4.° quia


image
not
available

gata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat. 2.m vero ex verbis ejusdem Ap., qui postquam dixerit l. c. *Iis, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*; subdit: *Nam caeteris Ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Et paullo post: *Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim servituti subjectus est frater, aut soror in ejusmodi*; idest non tenetur fidelis a conjugii usu se perpetuo abstinere, si alter infidelis, et in infidelitate permanens discesserit. Quamvis autem multi negent, quod liceat fideli infidelem dimittere, si hic velit habitare cum fideli pacifice, et absque Religionis injuria; probabilius tamen censet Lig. n. 957. cùm Bell., aliisque, quod liceat; tum quia magis consonum Ap. verbis; tum quia nunc saltem temporis, in quo miraculorum frequentia desiit, non modicum perversionis periculum immineret conjugi fideli ex consortio infidelis. Ubi etiam subdit, quod si uterque conjux ad fidem convertitur, Matrimonium sit indissolubile, modo sit consummatum post conversionem, alias Summus Pontifex gravibus de causis dispensare potest, ut constat ex Decr. Urb. VIII., et late probat Ben. XIV. *l.* 6. *de Syn. c.* 4., afferens auctoritatem quoque Pii V., et Greg. XIII., qui id in praxim deduxere. Item Matrimonium illud non solvi, nisi quum conjux fidelis ad alias nuptias transit. Ac demum, quod conjux fidelis debet prius infidelem monere, an velit con-

verti ad fidem ex praecepto Pii V., et Greg. XIII.; de quo si interpellari nequeat, requiritur dispensatio Pontificis, ut possit novum Matrimonium inire.

386. Quod autem Matrimonium simpliciter ratum solvatur item per professionem Religiosam, probatur ex Trid. *sess.* 24. *can.* 6., ubi: *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Ac favet etiam nonnihil ratio, per professionem namque Religionis, in qua vota solemnia emittuntur, is, qui eam profitetur, spiritualiter moritur, quia nec ullius proprietatis est amplius capax, nec ullam amplius voluntatem habet, ac demum se, suaque omnia tradidit Praelatorum nutibus. Hinc sicut Matrimonium consummatum, per quod conjuges fiunt una caro, dissolvitur morte corporis, ita Matrimonium ratum, per quod dumtaxat animo, et voluntate uniuntur, morte spirituali. Cui accedit, quod omnis obligatio potest in melius commutari, si inde non consequatur detrimentum alterius. Per professionem autem Religiosam dum unus conjugum transit ad statum perfectiorem, alter ad alia vota licentiam habet transeundi: Ergo. Neque id, ut primo aspectu videtur, adversatur illis Scripturarum locis, ubi sermo fit de indissolubilitate Matrimonii; re enim penitius inspecta, repetitur ibi ejus indissolubilitas praecipue ex unitate carnis inter conjuges, quae fit per consummationem; ex quo sequitur, ut docet Alex. III., et Christum Dominum locutum fuisse de Matrimonio consummato, et eodem sensu intelligendos esse caeteros Sacros Scriptores; quemadmodum proinde eorum verba inter-

pretata est Ecclesia, quae est legitima verbi Dei interpres. Datur autem cuique conjugum bimestre ad deliberandum, utrum velit Matrimonium consummare, an Religionem ingredi: ex quo deducit Lig. n. 558., quod quilibet conjugum licite potest intra bimestre debitum negare, quamvis non habeat animum intrandi Religionem, quia utitur jure suo. 2.°, quod transacto bimestri, et Matrimonio nondum consummato, valide quidem Religionem profiteretur, quia Trid. indistincte pronunciavit, Matrimonium simpliciter ratum dirimi per solemnem Religionis professionem; sed illicite, cum amiserit jus ingrediendi Religionem, invito conjuge. 3.°, quod peccaret Sponsus, et quidem graviter, qui Matrimonium contraheret animo intrandi Religionem, cum jus permittat illud contrahere animo deliberandi intra bimestre ingressum, necne in Religionem, non vero animo jam deliberato illam ingrediendi, in quo quis non videat deceptionem conjugis in re gravi?

387. Probabile demum est ex Lig. n. 959, quod Matrimonium simpliciter ratum solvitur quoque per Papae dispensationem ob causam gravissimam: tum quia rationabile videtur, concessam a Christo fuisse ipsius Vicario ad bonum Ecclesiae talem potestatem, aequae ac ad dispensandum a professione Religiosa, quae fortius est vinculum, cum per eam, ut diximus, ipsum Matrimonium ratum dirimatur: tum quia in eo dispensarunt Martinus V., et Eug. IV., teste S. Antonino, Pius II. et Pius IV., teste Navarro, Greg. XIII., et alii: utque scribit Ben. XIV. l. 6. de Syn. c. 6., *de Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare, instar*

sacrilegii est, esset namque Christo quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiae suae providisset.

388. His autem, et non aliis modis Matrimonium dissolvitur: quoad adulterium namque, docuit quidem Lutherus, illud quoque dirimi ob adulterii causam; in quam sententiam et Cajetanus, et Catharinus propensi fuere, prior namque obiit ante Trid., posterior ante sess., in qua haec quaestio agitata fuit; ejusdemque et fuerunt, et etiamnum sunt Graecorum plurimi: certum tamen est, illud non dirimi ob adulterium; idque Laur. Berti vocat *catholicam thesim*; Hab. *catholicum dogma*; Tourn. *doctrinam, quam proponit Trid., fidei esse, etsi clare, et explicite id non exprimat.* Quod invictissime probatur ex Christi verbis Marci 10.: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur.* Et Lucae 16. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* Quod et docet Ap. ad Rom. 7.: *Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Objiciunt quidem Adversarii Christi verba Matth. 19.: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Postulat autem exceptionis ratio, ut quod sine apposita exceptione non licet, liceat in casu exceptionis: Christus igitur prohibendo, ne

quis dimittat uxorem suam, et aliam ducat, excepto fornicationis casu, hoc ipsum declaravit licere in casu fornicationis. Sed resp. explicando textum, *et neg. cons.*: non enim ait Christus: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, nisi ob fornicationem, moechatur*, sed: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Hinc exceptio a Christo apposita cadit solum in priorem propositionis partem: *Quicumque dimiserit uxorem suam*, non vero in posteriorem: *Et aliam duxerit*; ea enim est exceptionis ratio, ut D. Th. disserit, ut cadat in id, quod praecedit, non vero in id, quod sequitur. Idque magis, quia et in aliis Scripturae locis absolute, et sine ulla apposita exceptione prohibetur Matrimonii solutio; et quia Ecclesia, quae est legitima verbi Dei interpres, in hunc sensum Christi verba interpretata est; ut patet ex Trid. *sess.* 24. *can.* 7., ubi: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet juxta Evangelicam, et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.* Instant tamen Adversarii, Christum de utroque divortio interrogatum fuisse a Judaeis illis verbis: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa*, quia utrumque reperiebatur in repudio, de quo a Judaeis interrogabatur. Quum respondit igitur: *Quicumque dimiserit ec.*, de

utroque etiam divortio locutum fuisse, consequens est. Sed resp. etiam *neg. cons.*: de utroque enim fuerat Christus a Judaeis interrogatus; illud tamen quoad thorum expressit tantum, docuitque licere in casu fornicationis, dicens: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*; alterum vero quoad vinculum absque exceptione declaravit illicitum, dicens: *Et qui dimissam duxerit, moechatur.* Instant etiam, quod dimissio quoad thorum fieri etiam potest ob alias causas. Si Christus igitur locutus fuisset de dimissione quoad thorum, non modo fornicationem, sed et alias causas in exceptione afferre debuisset. Sed resp. quoque *neg. cons.*: si enim illam tantum attulit, ideo fuit, et quia est praecipua dimissionis causa, et quia per illam conjuges seipsos privant jure conjugii. Ita igitur procul dubio: et quidem testatur hac super re Pallavicinus *l. 22. Hist. Trid. c. 4.*, canonem supra relatum sic primo formatum fuisse, ut anathemate percelleret omnes, qui docerent, Matrimonium dissolvi quoad vinculum per adulterium; sed postea reformatum fuisse, ac relato modo conditum, ne Graeci ad tumultum, integramque a Sede Apostolica secessionem provocarentur. Caeterum quoniam nec datur, nec dari potest medium inter errorem, et non errorem, erroremque, et veritatem, definiitque Trid., *Ecclesiam non errare, cum docuit, et docet etc.*, implicite hoc ipso mentem suam expressit, et errare omnes contra *Evangelicam et Apostolicam doctrinam*, qui docent dissolvi posse ob adulterium Matrimonii vinculum; et veritatem esse *Evangelicam, et Apostolicam*, illud ob adulterium dissolvi non posse.

389. Prima ergo, ut diximus, ac princeps causa, ob quam licet divortium facere quoad thorum, est adulterium alterius conjugis, ut ex relatis Christi verbis patet. Requiritur tamen 1.° verum, ac perfectum adulterium, non enim sufficit ex Lig. n. 962., et 963. vel copula ex vi habita ob defectum injuriae ex parte conjugis, cui vis facta fuit; vel sodomia, aut bestialitas, aut copula cum aliena habita sine effusione seminis, cum nec per copulam non naturalem, nec per copulam habitam sine effusione seminis vere dividatur caro, et perfectum habeatur adulterium. 2.° certitudo adulterii, vel talis saltem ejus suspicio, quae ad moralem certitudinem pertingat; tum ex *c. Ex parte* 9. *de sponsis*, ubi: *Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere*; tum quia nemo ob solam probabilitatem potest certo jure, quod possidet, privari. 3.° quod conjux innocens injuriam alteri non remiserit verbis, vel factis, ut si conscius, et memor adulterii copulam petierit, vel reddiderit omnino sponte, vel alia dederit remissionis signa, per quae animum vere habuerit remittendi offensam. 4.° quod non consenserit in adulterium conjugis; quod tamen non praesumendum, si vel prudenter dissimulaverit, vel non potuerit illud absque sui ipsius periculo avertere, vel remotam tantum ad id causam praebuerit, dicitur enim *C. Discretionem de eo, qui cog.*, non excusari foeminam adulterantem, etiamsi a viro sit injuste dimissa. 5.° quod uterque non sit reus adulterii, hoc enim posito, neuter habet jus ad divortium, etsi unus, ait Lig. n. 966., semel peccaverit, et occulte, alter centies, et publi-

ce. An autem in tali casu conjux emendatus possit divortium facere ab altero in adulterio perseverante, hinc, indeque, subdit, probabiliter disputatur; aliis id negantibus, nisi condonationem sui criminis a conjuge obtinuerit, quia ejus emendatio injuriam alteri vel semel factam non extinguit: aliis affirmantibus, ambobus enim lapsis in adulterium, emendatio unius, dum meliorem ejusdem conditionem efficit, jus quoque tribuere ei debet recedendi ab altero, qui in adulterio velit perseverare. 6.° ex D. Th., Bell., ec. Judicis sententia, quia divortium, cum sit actio publica, quae si fieret privata auctoritate magnis foret perturbationibus obnoxia, fieri idcirco nequit, nisi judicio Ecclesiae. Alii vero, ut Salm., Laym. ec., docent, non posse divortium propria auctoritate fieri, si adulterium sit occultum, quia tunc fama conjugis adulteri injuste proderetur; bene vero, si sit notorium, ex *C. Significasti 4. de Div.* Probabilius tamen ex Lig. n. 969. illud licet sine Judicis sententia, sive adulterium sit publicum, sive occultum, modo sit certum, et ex separatione non sequatur scandalum, quod non possit aliter reparari; saltem si adulterium sit ex parte foeminae: tum ex Christi verbis absolute permittentibus dimittere conjugem adulterantem: tum ex C. *Dixit Dominus* absolute ajente: *Ubicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, libere dimittitur uxor*: tum quia durum esset cogere virum certum de adulterio uxoris, ut illud publicum faciat in judicio cum suo perpetuo dedecore.

390. Diximus autem, quod licet adulterii causa divortium facere: ut enim disserit D. Aug. c. *Idololat.*

27. q. 1., *Dominus permisit causa fornicationis uxorem dimitti; sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit, non dimittat uxorem infidelem.* Cui accedit, quod cum divortium permissum fuerit in favorem innocentis, non debet in ejus poenam verti; prout esset, si conjux innocens ad illud ratione adulterii alterius teneretur. Posset tamen vir quandoque ad illud teneri, ut advertit Lig. n. 963., vel ratione scandali vitandi, ne scilicet videatur conjugis peccati particeps; vel ratione correctionis ipsius conjugis, nisi aliter eam valeat corrigere. Docens simul, quod si ex tali dimissione timeat vel periculum propriae incontinentiae, vel rixas cum propinquis uxoris, vel infamiam, aut jacturam gubernationis domesticae, et similia, ad illud non tenetur ob scandalum, si jam praebuerit sufficientia indicia, quod aegre ferat uxoris infidelitatem, quia si nihilominus alii scandalizantur, ipsorum scandalum est pharisaicum, quod non tenetur vitare: nec ob correctionem, quia hujus praeceptum non obligat cum gravi incommodo. Uxor vero, ut subdit n. sequ., rarissime ad illud tenetur; tum quia rarissime uxor potest virum corripere; tum quia rarissime potest a viro discedere absque gravi incommodo. Quare et addit, nec etiam teneri ei debitum negare; eoque magis, quia tali negatione vir deterior fieret.

391. Facto demum divortio, innocens 1.° non amittit quidem jus revocandi conjugem, quia, ut diximus, cum divortium permissum sit in favorem innocentis, non debet in ejus poenam verti; modo ex ejus licentia castitatem non voverit. Qua super re advertit

quoque Lig. n. 967., raro posse compelli uxorem adulteram redire ad virum ob prudentem timorem mortis, aut saevitiae facile ab illo inferendae. At nec etiam ex lege charitatis, ut idem docet n. 965., tenetur illum recipere ex adulterio emendatum, cum ex una parte Christus Dom. eum perpetuo liberaverit ab obligatione cohabitandi cum adultero, et ex alia non videtur charitas ad tantum onus obligare, ut illum apud se recipiat, qui conjugii fidem ei fregit. Verba autem *C. Si vir adulter ec.*: *Debet, sed non saepe recipere peccatricem*, explicantur a Glossa de *debito honestatis, non necessitatis.* 2.° si in adulterium labatur, longe probabilius ex eod. Lig. n. 968. non amittit jus ad divortium, itaut altero petente, teneatur ad illum redire; cum jam absolutus fuerit per adulterium alterius a servitute conjugii, et prior adulter jure suo remanserit privatus. Ut tamen provideat et sui ipsius animae periculo, et aliorum scandalo, posset obligari ad illius revocationem. 3.° potest Religionem ingredi, ac vir Sacros Ordines suscipere, etiam invita parte. Et quidem, Sacris Ordinibus susceptis, manet Matrimonii vinculum; quod et manet post professionem Religiosam, si Matrimonium fuerit antea consummatum: ex quo sequitur, quod uterque copulam cum alia habens verum committit adulterium; quodque si post professionem Religiosam, vel Sacrorum Ordinum susceptionem conjugem cognoscat, sacrilegium, non fornicationem committit. Secus, si Matrimonium non fuerit prius consummatum, ac professio subsecuta fuerit, quia per hanc ipsum solutum fuisset Matrimonii vinculum. Qua super re adverten-

dam quoque cum Lig. n. 969., quod si divortium factum fuerit absque Judicis sententia, difficulter tam Sacri Ordines, quam Status Religiosus suscipi possent absque scandalo. Adulter tamen, nec etiam facto divortio per sententiam Judicis, potest vel Religionem ingredi, vel Sacros Ordines suscipere, nisi de alterius licentia, vel nisi alter jam statum irrevocabilem assumpserit; semper enim posset ab illo revocari, et esto Religionem, vel Sacros Ordines suscepisset, teneretur redire. Caeterum sat est ad id etiam licentia tacita; ut si innocens sciens, conjugem dimissum ob adulterium velle statum mutare, non impediat, cum commode possit; vel si requisitus de reconciliatione, illam neget, ex *c. Gaudemus de conv. conj.*; utque alii addunt, si post biennium illum non revocat, ex *Auth. sed hodie. C. ad l. Jul. de Adult.*

392. Est etiam divortii causa quoad thorum saevitia alterius, mala scilicet gravia, et injusta, quae nimis molestam redderent vitam, attenta conditione personarum: nonnisi tamen auctoritate Judicis, modo periculum non sit in mora, aut Judicem nequeat conjux innocens adire, vel apud eum saevitiam probare, vel litigare. Ratio autem est, tum ne passim fiant divortia; tum quia sicut causa haec saevitiae inducta est auctoritate Ecclesiae, ita aequum est, ut nemo sine auctoritate Ecclesiae ea utatur. Hic tamen advertit Lig. n. 972. 1.° licitum esse viro verberare uxorem, modo non fiat frequenter, nec ex levi causa, nec acriter, quamvis causa sit magna, sed, raro, et mediocriter. 2.° ob levem verberationem, etiamsi sine causa, non posse uxorem discedere, praeter-

quam, ut subdit ex Salm., si mulier esset nobilis; ac neque etiam ob unam verberationem, etsi gravem, sed requiri saltem binam, nisi probabiliter timeatur, quod vir verberationes replicet. Est quoque divortii causa, si conjux compartem trahat in peccatum, tunc enim innocens potest se separare, immo tenetur, si periculum sit grave: sicut etiam morbus contagiosus, ex quo probabiliter immineat infectionis periculum: item haeresis, vel apostasia alterius post Matrimonium: ac demum mutuus consensus ex fine aliquo spirituali; quod tamen non est de facili permittendum. Facto autem divortio ex causa culpabili, filii educandi sunt apud conjugem innocentem: et quidem post Judicis sententiam expensis conjugis, qui fuerit in culpa, quia cum matri adulterae dos, facto divortio, restituatur, jus naturale postulat, ut ipsa quoque Matrimonii onera sustineat, ne commodum ex suo crimine reportet, ut Lig. disserit n. 976.

Caput V.

De Matrimonii impedimentis.

393. Distinguuntur haec in impedientia, et dirimentia; idest *quae illud illicitum dumtaxat reddunt*, et *quae illud reddunt et illicitum, et irritum*. Cujusnam autem sit illa constituere, dicimus 1.°, nemini dubium esse posse ex dictis l. 1. n. 81., et quod Matrimonium contra leges civiles initum sit illicitum, et quod leges civiles possint Matrimonium irritum reddere quoad effectus civiles: immo inter infideles

illud quoque reddere omnino irritum, ut docet prae aliis Laur. Berti, cum enim inter infideles rationem non habeat, nisi contractus civilis, in illum proinde Principes saeculares potestatem habere, prout in reliquos contractus, consequens est. Horum proinde effectuum respectu, docet Cuniliatus, intelligendum esse D. Th., ubi *q.* 50. *suppl. a. unic. ad* 4., ait, *ex qualibet istarum legum* Naturalis, Ecclesiasticae, et Civilis *posse aliquam personam effici ad Matrimonium illegitimam*; ait namque idem S. D. *l. c. q.* 57. *a* 2. *ad* 4., quod *prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret auctoritas Ecclesiae, quae idem etiam interdicit.* Cum quo idcirco dicimus 2.°, non esse Principum Saecularium leges ferre inter fideles, quae Matrimonium reddant omnino irritum, ita ut pars libere possit alias nuptias inire; sed id esse solius potestatis Ecclesiasticae.

394. Et quidem posse illa constituere probatur 1.° ex facto Christi, qui impedimentum ligaminis instituit, dum polygamiam simultaneam, et libellum repudii sustulit: nec non ex Ap., qui instituit impedimentum disparitatis cultus et cum 2. *ad Cor.* 6. ait: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*; et cum 1. *ad Cor.* 7. conjugi fideli ab altero infideli, et contradicente recedere permisit. 2.° ex Christi verbis ad Petrum Matth. 16. *Quodcumque ligaveris etc.*, quibus omnem potestatem Ecclesiae reliquit ad ejus regimen necessariam. Hujusmodi autem erat potestas, de qua hic sermo, ad coercenda immania, quae secus oriri potuissent, scandala ex Matrimoniis seu Fidelium cum Infidelibus, seu Monachorum cum Monialibus, seu

clandestine contractis, etc. 3.° ex Trid. *sess. 24. can. 4.*, ubi: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse instituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* 4.° quia quamvis Ecclesia in substantiam Sacramentorum potestatem non habeat, cum tamen Sacramentum Matrimonii aliud non sit, nisi ipse Matrimonii contractus ad Sacramenti dignitatem a Christo evectus, statutis proinde ab Ecclesia legibus, sub quibus, et non aliter contractus subsistat, sub iisdem etiam, et non aliter subsistit Sacramentum. Porro *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione ea statueret, vel mutaret, quae magis expedire judicaret, salva illorum substantia*, declaravit idem Trid. *sess. 21. c. 2.*, ex quo sequitur, utique posse praefatas leges statuere. At dicet quis: Nulla potestas valet irritum per leges suas facere contractum, quem natura ipsa legibus omnibus superior, validum declarat. Ipsa autem natura declarat validum Matrimonii contractum mutuo contrahentium consensu initum: ergo. Sed *neg. min.* Natura enim ipsa ita approbat contractus, ut eos tamen firmos esse nolit, si fiant contra leges juxta ipsius dictamen constitutas. Hujusmodi autem sunt leges, sub quibus sanxit Ecclesia, ut Matrimonium contrahatur, nec secus subsistat; neque natura validum reddere intendit contractum, qui sive in contrahentium, sive in ordinis publici damnum vergit, cujusmodi sunt quae ex lege Ecclesiastica Matrimonium dirimunt.

395. Quod vero illa constituere solius sit potestatis Ecclesiasticae, non etiam potestatis civilis, pro-

batur 1.°, quia cum lex civilis *in princ. Inst. de Nupt.*, et *in l. Nupt. 2. ff. de rit. Nupt.* irritaverit Matrimonia filiorum familias inita sine consensu parentum, Ecclesia id genus legem proscripsit in *C. cum locum de sponsal.*, et *C. Licet*, et demum in Trid. *sess. 24. c. 1. de Reformat. Matr.* Id autem facere nequivisset, si penes civilem potestatem jus quoque esset constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia. 2.° quia, apposito a lege civili impedimento, quod Ecclesia reprobaret, prout in praefato casu, vel Princeps Matrimonium illud dissolvere posset, vel non. At si illud posset dissolvere, separare posset quos Deus, et Ecclesia conjunxit, quod nefas dictu: Non ergo solvere illud posset; ex quo sequitur, nulla esse impedimenta dirimentia, quae constituat. 3.° quia statim ac res quaelibet Deo consecratur, eripitur simul a potestate laicali. Matrimonii autem contractum in baptizatis Christus nedum consecravit, sed ad rationem quoque Sacramenti evexit; et quidem ita, ut ratio contractus separari nequeat a ratione Sacramenti: Illum igitur a potestate laicali hoc ipso eripuit 4.° quia si potestas civilis posset ferre leges inter fideles, quae afficerent valorem ipsius contractus Matrimonii, hoc ipso etiam posset ferre leges, quae ipsum valorem Sacramenti afficerent, cum in iis, ut diximus, separari nequeat ratio contractus a ratione Sacramenti. Nefas autem dictu, quod potestas civilis possit ferre leges, quae afficiant ipsius contractus Matrimonii valorem. Nec valet paritas illius, qui vinum redderet acetum, eoque efficeret, ne in illo valide consecrari posset: 1.° enim in vino est separabilis ratio vini a ratione Sa-

cramenti, nam, etsi optimum, potest non consecrari, non vero in contractu Matrimonii unum ab altero separari potest in fidelibus, cum nequeant contractum Matrimonii inire, qui non sit Sacramentum. 2.° quia vinum non est, nisi materia Sacramenti Euch., contractus vero Matrimonii in fidelibus est ipsum Matrimonii Sacramentum, cum ejus materia non sit contractus, sed corpora ad copulam apta: ex quo sequitur, quod si potestas civilis in contractum Matrimonii posset jus exercere, non in materiam Sacramenti, sed in ipsum Sacramentum jus exerceret. Demum nemo tritum illud ignorat: *Finis mensura est eorum, quae sunt ad finem.* Finis autem potestatis civilis non est, nisi bonum temporale civium, nec ultra hoc se extendit: Neque igitur statuendo aliquod Matrimonii impedimentum ultra extendere se potest, quam quod Matrimonium cum tali impedimento initum sit nullum quoad effectus temporales. Qua super re duo demum advertenda sunt: 1.° quod cum ex dictis non subsistat impedimentum a lege civili appositum, ubi Ecclesia illud reprobet, eo enim non obstante, validum quoque est Sacramentum, sufficienter proinde ad Sacramentum validus quoque dicendus est contractus. Quod si contractus, tametsi lex civilis illi obsistat, sufficit nihilominus ad Sacramentum, dicendum quoque est, Christum ad dignitatem Sacramenti evexisse, non jam contractum civilem, sed contractum naturalem in mutuo contrahentium consensu positum, quodque tantum ob rationem Sacramenti Ecclesiae legibus perficeretur. 2.° quod non jam omnibus Ecclesiae Praelatis inest potestas statuendi impedimenta,

quae ipsum afficiant Matrimonii valorem, idest dirimentia, sed soli Rom. Pontifici, et Conciliis Generalibus, ut probat Ben. XIV. *l.* 7. *de Syn. c.* 68. *n.* 7. ex Decl. S. C., quam Urb. VIII. et suo Decreto confirmavit, et praecepit, ne id amplius in dubium revocaretur. Cujus etiam Lig. n. 980. rationem reddens, *quia res* (ait) *maximi momenti non sunt, nisi a Suprema Sede decernendae.*

396. Quibus praemissis, impedimenta potissimum impedientia sunt quatuor hoc versu contenta:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.

Et quoad 1. sponsi graviter peccarent contrahendo contra prohibitionem Eccl., Parochi scilicet, vel Ep. ob dubium alicujus impedimenti, vel inhabilitatis inter copulandos. Quoad 2. prohibetur ab Adventu usque ad Epiphaniam inclusive, et a die cinerum usque ad octavam Paschae inclusive, non quidem Nuptias inire, sed solemnitas Nuptiarum; idest earum benedictio; sponsae traductio in domum sponsi cum magna solemnitate, non vero vel sine solemnitate, vel cum hac moderata; convivia nimis sumptuosa, non vero etiam moderata. Ita Lig. n. 983.: subjungens n. sequ. cum Ben. XIV. *Not.* 80. *n.* 17., utique etiam licere feriarum tempore Matrimonium consummare ex Decl. S. C. *die* 10. *Jun.* 1684.; canones vero, qui opponuntur, esse consilii, non praecepti: idemque licere ante benedictionem Sacerdotalem, ex *c. Nostrates* 30. *q.* 5., ubi expresse dicitur, *peccatum non esse*: nec non ex Trid. *sess.* 24. *c.* 1., ubi conjuges hortatur tantum ad non consummandum Matrimonium ante benedictionem; et ex Rit. Rom., ubi

dicitur, quod id Parochus moneat, quae profecto verba consilium tantum praebere, nemo est, qui non videat. Quoad 3. impediunt quoque Matrimonium sponsalia cum alio inita, et non soluta, quia violaretur in re gravi fides alteri data. Nec non quoad 4. votum simplex sive castitatis, sive Religionis, sive non nubendi, circa quod consulatur l. 2. n. 126. Impedimenta autem *Catechismi*, per quem intelligebatur professio fidei, quae ante baptismum fit nomine baptizandi; nec non quorumdam criminum, silentio praetermittimus, quia sublata.

397. Diximus *potissimum*, nam prohibetur quoque Matrimonium inire, omissis proclamationibus, sine quibus Parochus Matrimonio assistens, etiamsi per diligentiam adhibitam noverit non subesse impedimentum, peccaret mortaliter ex Lig. n. 990., quia transgrederetur diligentiae formam a Trid. praeceptam *sess.* 24. *c.* 1.; quam sub gravi obligare, nemo vocare in dubium debet, quia agitur de re gravissima. Sunt autem faciendae in Ecclesia intra Missarum solemnia, quamvis ex justa causa possint etiam fieri extra Ecclesiam in loco magni concursus; a proprio Parocho, et intra propriam cujusque conjugis Parochiam; ac demum in tribus diebus festivis, non immediatis, continuis tamen, idest qui nullo alio festo interpolentur. Quibus factis, licet post ultimam eadem die contrahere: sique differatur Matrimonium ultra quatuor menses, repetendae sunt ex Decl. S. C.; immo ex Rit. Rom., etsi differatur ultra duos menses, nisi aliud Episcopo videatur. Quamvis autem in iis dispensare sit proprium Episcopi, si tamen hic adiri

nequeat, et necessitas urgeat celebrandi Matrimonium, quia ex gr. probabiliter timetur, ne illud malitiose impediatur, vel alter sponsorum est in mortis articulo, et proles est legitimanda, etc., utique Parochus declarare potest, praeceptum proclamationum non obligare, modo certus sit, nullum adesse impedimentum: at ex Trid. l. c., *deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, nisi Ordinarius aliter expedire judicaverit.* Advertendum demum, quod si alter sponsorum de brevi in Parochiam venerit, faciendae sunt in loco, unde discessit, ex Decl. S. C.; sique sit exterus, ante Denunciationes debet Parochus fidem authenticam habere ab Ordinario sponsi de ejus statu libero. Quoad vagos vero, sanxit S. C. ap. Lig. n. 1089., *quod non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant esse liberos per fides Ordinariorum suorum, servata forma Trid. in c. multi 7. sess. 24. Fides, aliaque documenta non admittantur, nisi munita sigillo, et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, et sigillum.* Quibus peractis, nequit etiam Parochus eorum Matrimonio assistere, nisi Episcopi licentiam de hoc habuerit, ex Trid. *sess.* 24. c. 7. Is autem, qui aliquod noverit impedimentum, debet illud, modo absque gravi incommodo possit, denunciare, etsi illud per testes probare nequeat, et sive impedimentum sit dirimens, sive impediens, et etiamsi occultum, et infamatorium, praemissa tamen in hoc postremo casu correctione fraterna, si probabiliter sit profutura, et periculum non sit in mora. Ratio vero est ex Lig. n. 994., et

sequ., quia si sponsi sunt in mala fide, proficiet revelatio ad peccatum vitandum, cum testimonium unius de impedimento satis sit ad Matrimonium impediendum: et si in bona fide, proficiet saltem ad reparandam injuriam materialem Sacramenti. Non tenetur tamen denunciare, si impedimentum noverit a persona non fide digna, vel ex auditu, nec recordetur a quo; etsi enim ex auditu, sufficit ad impediendum Matrimonium, si impedimentum sit consanguinitatis, vel affinitatis, quod testis deponat, illud audisse a duobus fide dignis, et maxime a sponsorum consanguineis.

398. Impedimenta autem dirimentia sunt 15.; his que versibus comprehenduntur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave sit mulier, parti nec reddita tutae.

Percurramus singula.

399. *Error*; quoad personam tamen, quia enim personae sunt substantiale Matrimonii objectum, quum erratur proinde circa personam, erratur circa substantiam contractus. Hinc de ipso jure naturae Matrimonium irritat; idque etiamsi vincibilis, et concomitans, seu non dans causam contractui, itaut cognito errore, adhuc fuisset initum Matrimonium. Secus error circa qualitatem personae, et non dans causam contractui, cum tunc adsit simpliciter voluntarium Matrimonii. Quid vero dicendum, si dederit causam contractui, quia nempe re vere cognita, non fuisset initum? Ad quod respondetur, ipsum quoque

irritare Matrimonium, si qualitas redundet in substantiam: quod dignoscitur. 1.° , quum quis habet animum contrahendi sub illa qualitate, et non aliter. 2.° quum qualitas non est aliis communis, sed propria, et individua personae, ut si quis crederet ex. gr. contrahere cum primogenita. 3.° quum consensus fertur directe, et principaliter in qualitatem, et minus praecipue in personam ipsam; ut ex. gr.: *Volo ducere nobilem, qualem puto esse Titiam.*

400. *Conditio*; liber scilicet per ignorantiam ducens servam invalide ducit; secus, si scienter; qui tamen fieret irregularis ex *c. si quis Dist.* 34. Ita etiam valide et servus duceret servam, ut cum D. Th. censet probabilius Lig. n. 1017., cum desit inaequalitas; et homo liber libertam, idest servam, quae per Matrimonium fieret libera. Servis tamen huc pertinentibus accenset Lud. Abelly eos, qui per totum vitae tempus ad remos damnati sunt, vel carceri perpetuo mancipati; tales enim cum sint servi poenae, ut jura loquuntur, servilis conditionis leges subire debent.

401. *Votum*, castitatis scilicet; non tamen simplex, nisi tantum emissum in Soc. Jesu, ex dispositione Greg. XIII. Bulla *Ascendente Domino*, sed solemne emissum vel in susceptione Subdiaconatus, vel in Religione aliqua approbata. Circa quod tamen distinguendum: emissum namque ante Matrimonium, illud dirimit, idest reddit et illicitum, et irritum. Emissum vero post Matrimonium, rursus distinguendum: non enim dirimit nec Matrimonium consummatum, nec simpliciter ratum, si emissum fuerit in

susceptione Subdiaconatus absque professione Religiosa. Si vero emissum fuerit in professione Religiosa, dirimit quidem Matrimonium simpliciter ratum, non vero Matrimonium et ratum, et consummatum. Neque hic omittendum, quod ex *Clementina un. de Consangu.* incurrunt excommunicationem ipso facto Religiosi, Moniales, et Clerici in Sacris constituti Matrimonium contrahentes, ac laici cum Monialibus nubentes; ubi etiam praecipitur Ordinariis, quod istos curent vitari, donec satisfecerint; et ex Edicto Inq. Gen. sunt etiam denunciandi.

402. *Cognatio.* Est autem triplex: *legalis*, idest *proveniens ex adoptione perfecta, qua persona sui juris per Supremi Principis Rescriptum transit in potestatem, et familiam alterius, perinde ac si ejus esset filius.* Haec porro (non vero illa ex adoptione imperfecta, quae nempe fieret sine Rescripto Supremi Principis, ut probabilius censet Lig. n. 1027.) dirimit Matrimonium inter adoptantem, et adoptatum, et uxorem illius, et e converso, idque perpetuo; nec non inter adoptantem, et adoptati descendentes usque ad 4. gradum; sicut etiam inter filios adoptantis, et adoptatum, sed tantum usque dum filii sint sub potestate illius. *Spiritualis, idest proveniens ex Baptismo, vel Confirmatione*: ac Matrimonium dirimit inter baptizantem, et baptizatum, et hujus Patrem, et Matrem; et inter susceptorem, et susceptum, hujusque patrem, et matrem: qua super re consulatur n. 67. 68., et 81.. Quibus hic addimus ex Fagn., in c. *si vir tit. de cogn. spir.*, quod si pater in casu necessitatis baptizet filium, quem ex aliena muliere susce-

perit, cognationem cum ea contrahit, itaut illam in uxorem ducere nequeat. *Carnalis*, idest *proveniens ex vinculo carnis inter personas ex eodem stipite descendentes*: ac dicitur etiam consanguinitas, quae definitur *vinculum personarum ab eodem stipite descendentium*. Haec porro Matrimonium dirimit in linea recta *usque ad infinitum*, ut ait Nicol. I. *in resp. ad Bulgaros*; in linea transversa vero usque ad 4. gradum inclusive, et quidem quoad 1. gradum ex jure naturae. Gradus autem in linea recta tot sunt, quot sunt personae, una dempta, scilicet stipite, idest persona, a qua descendunt contrahentes: in linea transversa vero, si sit aequalis, tot etiam sunt, quot sunt personae, dempto stipite: si inaequalis, tot gradibus personae singulae inter se distant, quot gradibus remotior persona distat a stipite.

403. *Crimen*, ac istud quatruplex: 1.^{m} nempe crimen Matrimonium dirimens est occisio conjugis cum consensu alterius, qui in Matrimonium optatur, etsi facta per alium; de utriusque tamen consensu, et animo contrahendi postmodum Matrimonium: qui animus, ut probabilius censet Lig. n. 1034., patefactus alteri fuerit ante occisionem conjugis saltem per munera, familiaritates, epistolas amatorias, aliaque id genus inter eos, qui desponsari sibi velint, consueta: cum enim hujusmodi animi nullum indicium praecesserit, nequit esse objectum poenarum Ecclesiae, quae tantum judicat de actibus externis, atque in hos tantum animadvertit. Secundum crimen Matrimonium dirimens est adulterium cum occisione conjugis facta ab uno ex adulteris, etsi altero inscio;

sub sequentibus tamen conditionibus: 1.° quod adulterium praecesserit homicidium, ex *c. si quis vivente etc.* . 2.° quod fuerit consummatum cum seminatione intra vas, quia secus non est perfectum, et *odia restringi convenit.* 3.° quod fuerit utrinque formale, si enim foemina rem habeat cum conjugato, quem putabat solutum, et vicissim, impedimentum non contrahitur, ex *c. Veniens, et c. Propositum de eo, qui dux.*, et probabiliter ex Lig. n. 2036., etiamsi taliter putaverit ex ignorantia crassa, quia ad adulterium requiritur dolus, ex *l. pen. ff. ad l. Jul.*, nec cum ignorantia crassa, nisi fuerit affectata, datur dolus, ex *Glos. in l. Magn. ff. de verb. sign.* . 4.° quod occisio conjugis facta fuerit animo nubendi cum adultera: utque probabilius censet Lig. l. cit., quod hujusmodi animus per praecedentia saltem indicia alteri patefactus fuerit. Tertium crimen Matrimonium dirimens est adulterium cum promissione Matrimonii, sive promissio fuerit ante copulam, sive postea; sub sequentibus quoque conditionibus: 1.° quod tam adulterium, quam promissio fuerint vivente conjuge. 2.° quod promissio non fuerit revocata ante adulterium. 3.° quod fuerit expresse acceptata ab altera parte, quia per acceptationem promissio fit completa, nec ante acceptationem obligat ex dictis l. 2. num. 298. . An autem ad acceptationem sufficiat alterius taciturnitas, hinc, indeque probabiliter disputatur ex Lig. n. 1038., et ex dictis n. 359. . 4.° ex probabiliori sententia cum Lig. n. sequ., quod fuerit ex animo, non ficta, ficta enim promissio non est promissio; fueritque absoluta, non

conditionata; vel si conditionata, conditio tamen impleta fuerit vivente conjuge, cum simus in odiosis, ubi lex est stricte interpretanda. Quartum denique crimen Matrimonium dirimens est adulterium cum Matrimonio attentato, sive copula hoc praecesserit, sive subsecuta sit; cum quis scilicet vivente conjuge copulam cum alia habuerit, cum qua insuper Matrimonium contrahere ausus fuerit per verba de praesenti.

404. *Disparitas cultus*; quae Matrimonium dirimit inter baptizatum, et non baptizatum, etsi catechumenum. Matrimonia autem cum haereticis valida sunt, sed illicita: praeterquam in locis, ubi haeretici vivunt cum Catholicis mixti sub sequentibus conditionibus ex Lig. n. 56.: 1. quod catholico contrahenti permittatur libere permanere in fide. 2. absit perversionis periculum. 3. detur libertas educandi prolem catholice. 4. difficile sit invenire parem inter Catholicos. 5. fiat cum Pontificis dispensatione.

405. *Vis*, quae hic comprehendit et metum, etsi differant. Tam ergo vis, quam metus gravis ab extrinseco proveniens, et injuste incussus ad extorquendum Matrimonium, illud irritat: et quidem probabilius ex Lig. n. 1054. ipso jure naturali: 1.° quia in omni contractu contrahens ex vi, vel metu gravi injuste incusso habet jus ad restitutionem in integrum per rescissionem contractus, ex dictis l. 2. n. 289. Taliter autem contracto Matrimonio, non aliter vim, vel metum passus potest gaudere restitutione in integrum, nisi ab ipso jure naturali dispositum sit, quod ab initio sit nullum. 2.° quia Matrimonium est vinculum perpetuum mutui amoris inter conjuges, ex

Christi verbis Matth. 19. *Relinquet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae.* Nequit autem cum vi, et metu mutuus amor consistere, nemo enim adhaerere potest rei, quam invitus penes se habet. 3.° quia si tale Matrimonium naturaliter valeret, jus naturale approbaret actum, ex quo gravissima mala contra bonum commune orirentur, et maxime, quod pars innocens cogeretur vitam duram ducere, et altera ex iniquitate commodum reportaret. Diximus autem *injuste incussus*, nam si juste inferatur, ipsemet vim, vel metum passus illi causam dedit, nec potest conqueri, quod alter jus suum sibi tribui postulet. Quod si juste inferatur in foro externo, sed in rei veritate injuste, Matrimonium ex probabiliori sententia cum Lig. n. 1052. est nullum; ut si Judex secundum allegata, et probata cogeret aliquem ad Matrimonium, qui revera esset innocens: quia enim sententia Judicis fundatur in falsa praesumptione, et ideo non obligat, hinc licet Judex juste decernat secundum allegata, non tenetur tamen patiens secundum rei veritatem Matrimonium inire. Nec non *ad extorquendum Matrimonium*: quare si pater inveniret stupratorem suae filiae, et minas illi incuteret mortis ad extorquendum Matrimonium, equidem Matrimonium esset nullum. Secus vero, si ei minaretur mortem ad ulciscendam injuriam, et stuprator ad se liberandum iniret nuptias, quia tunc metus non fuisset ad Matrimonium extorquendum. Quod et dicendum, si pater minetur accusare stupratorem apud Judicem, et ille ne accusetur, duceret filiam: vel si Judex includeret stuprato-rem in carcerem, ut puellam ducat, vel dotet, et

ille Matrimonium iniret. Si vero absolute eum cogeret ad ducendum, Matrimonium esset nullum, quia stuprator non tenetur de jure illam ducere, sed vel ducere, vel dotare: praeterquam si nollet, vel non posset aliter damnum resarcire, quia stuprator quando non dotat, omnino tenetur ducere violatam. Ex quibus patet, quomodo similes casus resolvendi sint. Diximus quoque *metus gravis*; probabilius enim ex Lig. n. 1055 metus levis illud non irritat nec de jure naturali, quia non censetur invitus contraxisse, qui contraxit ex metu levi, quem facile poterat repellere; nec de jure positivo, a quo tantum Matrimonia ex metu gravi inita invalida declarantur *C. veniens 2. de Sponsal.*, *et C. Consult. de iis*, *quae vi etc.* Subdit vero n. sequ. ex recepta sententia, ac Decis. Rotae Rom., nec etiam illud irritare metum reverentialem absque verberibus, minis, diuturnae indignationis timore, etc.; quia purus metus reverentialis per se non est gravis, immo nec etiam metus, sed quaedam tantum erubescentia, quae verius non ab extrinseco, sed ab intrinseco provenit. Qui demum vim, vel metum incusserit, probabilius ex Lig. n. 1057. resilire nequit, quia nemo ex iniquitate commodum reportare debet; idque magis si pars vim, vel metum passa sit foemina, utpote quae soluto Matrimonio semper aliqua infamia remaneret notata. Quo demum loci abvertatur excommunicatio latae sententiae, quae tamen non est reservata, inflicta a Trid. sess. 24. de ref. c. 9. *omnibus cujuscumque gradus, dignitatis, et conditionis existant, ne quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominus libere Matrimonia contrahant.*

406. *Ordo*; sacer nempe absque coactione susceptus. Quod autem Matrimonium dirimat, id habet ex jure Ecclesiastico, ut cum D. Th. docet Lig. n. 1059.: quod enim Ordo sacer incompatibilis ex se non sit cum statu conjugali, tum primitivae Ecclesiae, tum Graecorum exemplum ostendit; ex quo sequitur, quod Matrimonium dirimit ratione tantum voti castitatis, quod in ejus susceptione emittitur. Votum autem castitatis tunc emissum non dirimit Matrimonium, *qua votum*, nam *qua votum* illud tantum impedit, sed *qua solemne*; quam solemnitatem habet ex jure Ecclesiastico: Ex hoc ergo et habet, quod Matrimonium dirimat.

407. *Ligamen*; vi cujus is, qui ligatus sit conjugi adhuc viventi, invalide contrahit cum alio.

408. *Honestas*; ob quam qui cum alio sponsalia, vel Matrimonium ratum inierit, nequit valide contrahere cum ejus consanguineis: 1.° tamen sponsalia post Trid. solum irritant Matrimonium usque ad 1. gradum; Matrimonium ratum vero usque ad quartum. 2.° ex sponsalibus ex quocumque defectu nullis, et ex Matrimonio nullo ex defectu consensus nullum oritur impedimentum; idque ex probabiliori sententia cum Lig. n. 1062., sive talis nullitas sit publica, sive occulta: nam quoad sponsalia indistincte Trid. ait, sponsalia quacumque ratione invalida nullum parere impedimentum: quoad Matrimonium vero sancitum quoque universe fuit in *c. un. de spons. in* 6., ex Matrimonio nullo ex defectu consensus non oriri impedimentum. Quod et confirmasse S. C. Card., testantur *Barbosa*, et *Furinac.* 3.° neque etiam ori-

tur impedimentum ex sponsalibus incertis, initis nempe ex. gr. cum una ex filiabus, ut habetur ex can. cit.; neque ex conditionatis, si ante impletam conditionem contrahatur cum alia per verba de praesenti, ex Decl. Bon. VIII.: verius tamen ex Lig. n. 1063. bene impedimentum oritur ex sponsalibus validis, quamvis postea mutuo consensu, vel alia justa causa dissolutis, ex Decl. S. C. Card. ap. *Holzman.* 4.° demum Matrimonium ratum invalidum non inducit impedimentum in praejudicium priorum sponsalium ex eod. c. ut supra: unde si quis post sponsalia valide inita cum una ducat ejus sororem, antequam rem habeat cum secunda, potest, ac tenetur contrahere cum prima, quia Matrimonium fuit nullum.

409. *Aetas*; 14. nempe annorum in viro, et 12. in foemina; quibus non completis, irritum est Matrimonium, etsi dies tantum pauci desint. Quia tamen in C. *Puberes de Despens. impub.* ii dicuntur esse puberes, qui possunt generare, hinc si certo constet, sponsos, etsi impuberes, aptos tamen esse ad generandum, ut si simul coierint, et puella conceperit, nec non habere discretionem ad intelligendam vim consensus conjugalis, cum enim tale vinculum sit perpetuum, perfectus quoque exigitur consensus, Matrimonium est validum; dicunt enim canones *c. de illis* 9., et *c. Pubere eod. tit.*, bene esse validum, *si malitia aetatem suppleret.*

410. *Affinis.* Et quidem definitur affinitas *propinquitas personarum proveniens ex copula carnali sive licita, sive illicita*; ejusque gradus numerantur perinde ac dictum supra est de consanguinitate. Porro an-

te Matrimonium cum vir rem habuerit cum consanguinea sponsae, vel haec cum consanguineo viri, Matrimonium est nullum: et quidem si copula fuerit licita, impedimentum extenditur usque ad 4. gradum; si illicita, usque ad 2., ex Trid. *sess.* 24. *c.* 4. Post Matrimonium vero si conjux rem habeat cum consanguinea alterius conjugis, contrahit impedimentum ad petendum debitum, modo incestus fuerit cum consanguineis in primo, vel secundo gradu, ex Decl. Greg. XIII. Advertendum tamen 1.° quod ad contrahendum utrumque impedimentum tam Matrimonium dirimens, quam petendi debitum, copula esse debuit consummata, idest cum seminatione intra vas; utque probabiliter docet Lig. n. 1075., esse etiam debet consummata ex utraque parte, ut enim ait D. Th. *in* 4. *Dist.* 41. *q.* 1. *a.* 1.: *Vir, et foemina efficiuntur una caro per mixtionem seminum. Unde quanto quisque alter vasa pudoris frangat, nisi mixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas*; ex quibus verbis sequitur, quod praeter seminationem viri requiritur ad contrahendam affinitatem seminatio etiam mulieris. Subjungens simul, quod in dubio praesumendum semper est pro copula perfecta; nec solum praesumendam semper esse seminationem mulieris, quando ipsa in coitu magnam senserit voluptatem, verum etiam, quod tam in foro externo, quam in foro interno ubi constet de coitu, semper pronunciandum pro impedimento affinitatis contracto, quia semper pronunciandum ex communiter contingentibus. 2.° quod per Conc. Later. sublata fuit omnis affinitas, quae petatur ab affinitate; quare duo fratres pos-

sunt duas sorores ducere; et pater, ac filius possunt ducere matrem, et filiam. 3.° quod contrahentes scienter cum impedimento consanguinitatis, vel affinitatis incidunt ipso facto in excommunicationem, ex *Clementina un. de consanguin.*, ubi etiam Ordinariis praecipitur, ut eos curent vitari, donec satisfecerint. 4.° quod ignorantia facti, idest quod foemina sit consanguinea propriae uxoris, juxta omnes excusat ab incurrendo impedimento petendi debitum, requiritur enim ex *C. Si quis 1. de eo qui cognov. ec.*, quod copula cum consanguinea fuerit *scienter*. An autem excuset quoque ignorantia sive juris humani id prohibentis, sive poenae ipsius, affirmat quoque satis probabiliter Lig. n. 1074.: 1.m, quia cum poena sit imposita a lege humana, qui ignoranter proinde contra illam peccat, sicut excusatur ab ejus transgressione, ita etiam a poena. Alterum, cum probabilissimum sit, non incurri ab ignorantibus poenas a lege Ecclesiastica impositas, quum sunt extraordinariae, et per se ne in confuso quidem praevideri possunt. Sicut etiam an excuset metus gravis, ex quo mulier scilicet habuerit rem cum consanguineo viri, affirmat quoque, vocatque probabilius Lig. n. 1071.; nam sicut extra contemptum metus gravis certe excusat a lege Ecclesiastica, sic etiam a poena ab ipsa imposita. Ab hoc demum impedimento petendi debitum semper, et absolute posse Episcopum dispensare, ratione saltem consuetudinis, docet Lig. n. 1076.

411. *Si clandestinus*: Matrimonium namque initum absque praesentia Parochi, et duorum saltem testium, quales caeterum esse possunt etiam infames, foemi-

nae, pueri habentes rationis usum, parentes, domestici, servi, etiamque infideles, ut ait Lig. n. 1085., omnino nullum declaravit Trid. *sess.* 24. *c.* 1.: ex quo sequitur, quod in locis, ubi Trid. non est receptum, sicut et in locis infidelium est validum; semper tamen, et ubique hujusmodi Matrimonia fuere, et sunt illicita; immo *c. Consanguineorum 3. qu. 4.* infamiae etiam nota inuruntur. Parochus porro, et testes debent sic assistere, ut advertere possint, quid agatur, et de eo testari. Quare si non bene intelligerent sponsorum consensum, puta quia diversi idiomatis, non esset satis unus interpres de consensu affirmans. Nihil tamen refert, quod videant, necne contrahentes, dummodo audiant verba contractus, ac voces contrahentium noverint: quodque per vim, metum, dolum, aut injuriam nolentes detineantur, vel etiam contradicant, ut pluries S. C. declaravit: quin simul negari possit, quod contrahentes coram Parocho vi, aut dolo detento, aut casu transeunte graviter peccarent ob injuriam, quam irrogarent Sacramento, et Ecclesiae, a qua Parochus deputatur, ut Matrimonio assistat, praeterquam si urgente necessitate illud ineundi, Parochus nollet assistere, nec posset Superior adiri, ac modo in hoc casu non fiat vis ejus personae. Verba autem, quae Parochus proferre debet *Ego vos conjungo ec.*, quamvis non sint Sacramenti forma ex dictis n. 371., illorum tamen omissio probabilius ex Lig. n. 1094. esset mortale, quia transgressio in re magni momenti.

412. Ne autem detur errandi locus quoad Parochum, qui assistere debet Matrimonio, ne sit clandestinum,

sciendum 1.°, quod ejus nomine intelligitur Parochus non originis, sed domicilii, satisque est, quod habeat titulum, saltem coloratum, ita ut communiter Parochus judicetur; nec refert, quod forte sit excommunicatus, vel non adhuc Sacerdos (n. 1081.) 2.° quod etiam extra Parochiam, immo Dioecesim valide assistere potest nuptiis sui Parochiani, et adhuc contradicente Parocho illius loci, ex pluribus Decr. S.C. ap. Fagn., *l. 4. in c. quod nobis de clandest., etc.*, cum non sit actus jurisdictionis contentiosae; et si praedicta assistentia sit privata, nedum valide, sed et licite. In alterius tamen Parochia absque ejus Parochi venia sponsos solemni ritu benedicere esset grave. 3.° quod ubi duo sunt Parochi ejusdem Parochiae, potest quivis assumi, etiam invito altero; habentibusque sponsis domicilia in diversis Parochiis, valde probabiliter potest contrahi Matrimonium in quavis Parochia, modo in utraque Sponsi aequalem, vel fere aequalem habuerint habitationem, per sex menses ex gr. in una, et sex in altera; vel, ut addit Lig. n. 1086., indifferenter modo habitaverint in uno, modo in alio loco: in quo casu, quamvis ad valorem Matrimonii sufficiat, si alterutrius Parochus assistat, ex praecepto tamen adhibendus est Parochus contrahentis illius, in cujus Parochia Matrimonium celebratur. 4.° validum quoque esse ex probabiliori sententia cum Lig. n. 1091., si illi assistat Parochus loci, quo quis se transtulerit animo ibi manendi per majorem anni partem, et postea redeundi ad suum domicilium: quod probatur 1.° ex *c. fin. de Par.*, ubi illi, qui causa belli ad aliam Parochiam se transfe-

runt, habentur ut illius Parochiani: ac 2.° ex Decl. S.C. ap. Ben. XIV. *Not.* 32. *n.* 11., quod valet Matrimonium contractum a Judice, vel Medico temporali in loco, ubi tunc degit. Diximus *animo ibi manendi per majorem anni partem*; si enim deest animus hujusmodi, et pergitur in alienam Parochiam ad finem contrahendi Matrimonium, Matrimonium est nullum, ut respondit S.C. *die* 3. *Sept.* 1526, nempe: *Non esse legitimum Matrimonium inter sic se transferentes*; *et nisi domicilium* (sive quasi domicilium, ut intelligendum ex Lig. l. c.), *vere transferatur*, *Matrimonium non esse validum.* Quare etiam *die* 1. *Dec.* 1640. declaravit: *Parochum ruralem non esse verum, et proprium Parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis, ideoque Matrimonium valide coram hujusmodi Paroeho celebrari non posse.* Cum vero praefatus animus adest, nil refert, quod adhuc contractum non fuerit quasi domicilium: ac solum cum S. C., et Ben. XIV. declaraverint, sufficere ad ejus valorem formale domicilium per mensem, rationabiliter dubitatur, an sit validum, si formale domicilium fuerit infra mensem. 5.° ex Decr. S.C. ap. *Pitton. de Matr. n.* 247., Capellanos Exercitus habere facultatem assistendi Matrimoniis militum, dum hi reperiuntur in actuali expeditione; eorum vero Parochos respectivos dum in hybernis, vel aestivis commorantur, ac dum sunt in Praesidiis. Puellas vero expositas, quae degunt in Conservatoriis, Matrimonium inire debere, ex Dec. ejusdem S. C. apud Ben., XIV. *Not.* 32., non coram Capellanis ipsorum, sed coram Parocho loci: coram quo, addit idem Ben. bene posse con-

trahere ex antiqua consuetudine etiam illas puellas, quae degunt in Conservatoriis, a quibus recipiunt alimenta, et dotem. Alias vero puellas, quae in Monasteriis degant causa educationis, statim post inita sponsalia in earum domos remittendas esse, nec permanere in Monasterio amplius posse, pluries S. C. Ep., et Reg. decrevit. Quod si in ipso Monasterio contrahant, docet Lig. n. 1091. ex Ben. XIV. l. c., debere contrahere coram Parocho domicilii paterni, materni, vel fraterni, si adsit; si vero desit, coram Parocho loci Monasterii: quod et asserit de famulis degentibus in domibus herorum. Vagos demum, notat Lig. n. 1089., posse contrahere coram quovis Parocho; idque, etiamsi alteruter sponsorum sit vagus; circa quos consulatur quoque n. 392.. Demum Parochi nomine intelligi etiam Episcopum, vel ejus Vicarium in sua Dioecesi, etiamsi huic Episcopus id prohibuerit, declaravit S. C. ap. Lig. n. 1081.; sicut etiam Vicarium Capituli, Sede vacante; et Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem quoad suos subditos: nec solum per se posse Matrimonio assistere, sed etiam per alium, patet ex Trid. l. c. ubi: *Praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia.* Qua super re advertit quoque *De Luca*, quod generalis deputatio satis quoque est pro Sacr. Matrimonii, cum licentia, seu delegatio specialis requiratur pro iis Presbyteris, qui huic muneri generaliter praepositi non sint (*V. Matr. art.* 2.).

413. Hic quoque breviter advertendum ducimus de Matrimoniis secretis, ac *conscientiae* nuncupatis,

initis nempe *coram Parocho, et testibus, sed absque praeviis proclamationibus, et ita ut scientia initi Matrimonii praeter Parochum, contrahentes, et testes, alios penitus effugiat*: quod clandestinis quidem non sunt accensenda, sed quia et gravibus scandalis sunt obnoxia, et ex iis incerta fit prolis conditio, hinc, ut licite fiant, 1.° non *obvia, et vulgaris causa* (ait Ben. XIV. Bulla *Satis vobis*), *sed gravis, urgens, et urgentissima requiritur*; habita praesertim ratione *personarum illud secreto contrahere petentium, an scilicet ejus qualitatis, gradus, et conditionis sint, quae id probe exposcant.* 2.° quod eo celebrato, deferendum est Episcopo *illius documentum cùm nota loci, et temporis, testiumque, qui celebrationi interfuerunt*, ut transcribatur in libro prorsus distincto ab illo, in quo Matrimonia publice contracta adnotantur, qui deinde *clausus, et sigillis obsignatus in Episcopali Cancellaria caute erit custodiendus.* 3.° quod susceptis ex eo liberis, proles Parocho denuntietur per parentes ipsius vel immediate, vel per literas, aut personam fide dignam, ut ministrato baptismo *in Ecclesia, in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indistincte confertur*, transmittat Episcopo illius documentum *expressis parentum nominibus*, in alio libro similiter custodiendo transcribendum; idque si parentes omittant, in ipsorum poenam, et filiorum gratiam Matrimonium evulgetur.

414. *Impos*; ad copulam scilicet perfectam, ad quam requiritur foeminei vasis penetratio, et emissio seminis intra ipsum; sive impotentia absoluta sit, sive respectiva, modo sit perpetua, et antecedens

Matrimonium, ac talis, ut nequeat auferri sine vel miraculo, vel mortis periculo, vel peccato. Ratio autem est, quia cum Matrimonium consistat in mutua traditione corporum ad perfectam copulam aptorum, his proinde non aptis ad copulam perfectam, deest materia Matrimonii. Hinc 1.° consistere Matrimonium nequit inter eos, qui coire nequeunt ob frigiditatem, vel debilitatem complexionis: et quidem si impotentia sit certa, nec ante Matrimonium istud iniri, nec post Matrimonium separatio differri potest, sed statim facienda est; nec permittendum ex Lig. n. 1101., quod cohabitent, ut frater, et soror, nisi sint senes, et absit periculum incontinentiae. Si vero impotentia sit dubia, ante Matrimonium, docet Lig. n. 1102., quod, praecisis circumstantiis, et experientiis, quisque praesumitur habilis, etiamsi castissime vixerit; etiamque dubius de sua impotentia ob aliquod positivum indicium, licite potest, monita parte de tali dubio, Matrimonium contrahere, si Medicorum judicio, aliisque indiciis sit saltem probabile, esse potentem, cum praesumendum sit in tali dubio, quod naturaliter sit potens, nec cogendus, ut perpetuo vivat coelebs. Post Matrimonium vero datur triennalis experientia ex *C. Laudabilem de frig. etc.*, non quidem a die Decreti, sed ex cit. c. *a tempore celebrati conjugii*, idest copulae intentatae, nam verba intelligenda sunt cum effectu: *qua experientia durante, licite possunt conjuges* (ait Lig. n. 1103.) *copulam intentare, licet saepe, aut semper semen extra vas effundant*; eaque expleta, ut solvatur Matrimonium, debent jurare in judicio, numquam habuisse copulam, esto eam pluries inten-

taverint; quod et deponendum, si fieri possit, cum juramento a 7. propinquis, vel vicinis, si agatur tantum de impotentia unius, et a 14.; si agatur de utriusque impotentia, jurando scilicet taliter eos credidisse, vel ab iis audiisse. Quibus addit Lig. l. c., quod si mulier, quae tempore Matrimonii erat virgo, alleget impotentiam viri, adhibenda est inspectio Medicorum respectu viri, et Matronarum peritarum respectu foeminae; tunc enim ab ipsa necessitate talis inspectio honestatur. Si vero tempore Matrimonii erat corrupta, tunc potius credendum viro affirmanti consummasse, quam mulieri neganti; ex *c. Continebatur, de desp. impub.*; rejiciens simul, tamquam turpissimum quod aliquos non puduit dicere, adhibendam nimirum esse peritam Matronam, quae spectet coitum inter hujusmodi conjuges. Quia autem diximus, quod impotentia esse etiam debet antecedens Matrimonium, in dubio, an fuerit, necne illud antecedens, probabilius ex Lig. n. 1104. censenda est antecedens: 1.° quia cum post Matrimonium nulla accidit specialis causa, per quam praesumatur impotentia illi successisse, praesumptio stat, quod praecesserit. 2.° quia in dubio judicandum est in favorem Matrimonii: cumque praecipuus Matrimonii finis sit procreatio prolis, in ejus favorem est, quod in tali dubio judicetur potius pro ejus invaliditate. Et quidem (subdit) si impotentia non fuerit naturalis, sed ex maleficio, vel abscissione, aut alio morbo, ac allegetur brevi post Matrimonii celebrationem; in hoc casu, ex aliquibus etiam, qui stant pro sententia opposita, judicandum est in dubio, quod Matrimonium praecesserit.

415. Item ratione impotentiae nequit 2.° Matrimonium consistere inter eos, qui coire nequeant ob vasis foeminei arctitudinem: qua super re, si foemina nequeat fieri apta ad copulam, nisi cum mortis periculo, omnes conveniunt, Matrimonium esse irritum, ex *c. Fraternitatis*, *de frig. etc.* Si vero possit reddi apta ad copulam per incisionem graviter quidem molestam, et dolorosam, sed absque mortis periculo, tenetur ad illam perferendam ex Lig. n. 1099; quia ex vi contractus initi tenetur, etiam cum gravi incommodo, se reddere idoneam viro, eumque levare a gravissimo onere numquam habendi copulam ad prolis generationem, et remedium concupiscentiae. Addit tamen idem Lig., tamquam valde probabile, quod si incisio non posset fieri, nisi per manum Chirurgi, non tenetur incisionem pati cum tanta verecundia, tum quia onus plusquam gravissimum, ad quod numquam censetur voluisse se obligare: tum quia si nec etiam ad servandam sibi vitam in aliquo morbo verecundo tenetur Chirurgi manum in verendis pati, quomodo ad id tenebitur, ut ad usum conjugii aptam se reddat? In quo casu utique caeterum Matrimonium subsisteret, quia impotentia citra mortis periculum tolli posset. 3.° consistere Matrimonium nequit inter eos, qui coire nequeunt, quia utroque teste carent, vel eos contusos habent; secus, si habeant saltem unum. 4.° inter eos, qui coire nequeunt ex maleficio, quod tolli nequeat intra triennium nec remedio humano absque peccato, nec orationibus, aut exorcismis. Ac demum senes decrepiti omnino impotentes ad copulam, etiam medi-

cinae arte, ut Lig. docet n. 1066. Si vero possint saltem arte medicinae copulam habere, quantumcumque decrepiti possunt Matrimonium contrahere, aeque ac steriles, quia impotentes quidem sunt ad generationem, sed non ad copulam; et susceptio prolis, licet praecipuus, non est tamen unicus finis Matrimonii. Sicut etiam valide contrahunt hermaphroditi, si qui sunt, quia ad copulam potentes. Et quidem si alter sexus emineat, secundum illum tantum Matrimonium valebit: si vero uterque sit par, optio illis datur, utrolibet utantur, ita ut quem semel elegerint semper retineant. Nec non paullo post morituri, quia in iis manet potentia ad coitum, etsi per accidens vi morbi impediatur.

416. Advertendum demum hac super re cum Lig. n. 1096., ex nimio calore, ob quem vir semper seminet extra vas, antequam illud penetrare possit, probabiliter non exurgere impedimentum, si conjuges sint juvenes, cum tractu temporis calor ille tepescat, et possint fieri habiles. Bene vero illud posse exurgere ex deformitate mulieris, ob quam vir nullatenus excitare se queat ad habendam cum illa copulam, ad quam bene cum alia pulchra excitaretur. Quo in casu, non secus ac in maleficio, conceditur quoque triennale experimentum ex cit. c. *Laudabilem*, *de frigid.*, *et malef.*

417. *Raptus*, idest abductio foeminae de loco in locum Matrimonii causa, idque ipsa invita, et reluctante: non enim irritat Matrimonium 1.°, si mulier rapiat virum, quia Trid. *sess.* 24. *c.* 6. de viro tantum raptore mentionem facit. 2.° si abductio sit de

uno in aliud ejusdem domus cubiculum, cum esse debeat in locum separatum, in quo sit sub potestate viri. 3.°, ut probabilius docet Lig. n. 1107., si abductio sit ex alia causa, etiam libidinis explendae, cum non aliud Trid. intenderit hoc statuendo impedimentum, quam Matrimonii libertati favere. 4.°, ut probabiliter docet idem Lig. l. c., si abductio sit consentiente foemina, licet ejus parentes, vel tutores repugnent; quo in casu incurruntur poenae raptoribus impositae ex dictis l. 2. n. 200., sed non impedimentum, quia Conc. illud statuit tantum in favorem mulierum, ne coactae nubant: ex quo sequitur, quod cum ex parte earum non impeditur libertas Matrimonii, quod solo contrahentium consensu perficitur, absque eo quod ad ejus valorem consensus parentum requiratur, nec etiam contrahitur impedimentum. 5.° quia ut ait Lucius III. *c. cum causam tit. de raptor etc.*: *Iste raptor dici non debet, cum habeat mulieris assensum, licet parentes reclamarent, a quibus dicitur eam rapuisse.* Nec dicatur, quod si ad incurrendum impedimentum raptus ex Trid. necessarium esset, quod ipsi foeminae inferatur vis, Concilium non condidisset novum impedimentum distinctum ad impedimento violentiae: novum namque impedimentum constituit, quia illata vi puellae, etsi postmodum haec consentiat, impedimentum tamen subsistit.

Caput VI.

De Matrimoniorum irritorum revalidatione.

418. Praemittendum 1.° cum Lig. n. 901., et 902., quod stante probabilitate juris vel universe, vel certe a DD. recepta, ut probabili, de carentia impedimenti, quod tamen sit juris tantum Ecclesiastici, quisque potest cum tali probabilitate absque dispensatione et Matrimonium inire, et in Matrimonio, eo inito, permanere: tunc enim Ecclesia ex antiquissima consuetudine praesumitur contractum Matrimonii approbare, et omne impedimentum, si forte subsit, removere, ut fuse probat Cardenas pluribus Rotae Rom. Decisionibus, nec non quibusdam Decl. Urb. VIII. Non tamen licet Matrimonium contrahere, quum jus est certum, et solum ex utraque parte adest facti probabilitas pro subsistentia, et pro carentia impedimenti. At simul quia commune est inter DD., quod in omnibus casibus Pontifici reservatis, quando dubitatur, an dispensatione indigeant, bene potest Episcopus dispensare, ex dictis l. 1. n. 104., tum quia reservatio cum sit res odiosa, restringenda est ad casus certos; tum quia ejusmodi dubia cum occurrant frequenter, nimis durus evaderet tam frequens ad Pontificem recursus: hinc etiam in casu, de quo agitur, an scilicet de facto subsistat, necne impedimentum, probabiliter ex Lig. l. c. bene potest Episcopus dispensare. Licet autem Summ. Pontifex dispensare nequeat in impedimentis de jure naturali, vel

Divino, docet tamen Lig. n. 1119. et sequ., quod, stante probabilitate de carentia impedimenti, bene potest Summus Pontifex in aliquo casu urgentissimae necessitatis declarare, esse validum Matrimonium, non obstante impedimento, quod forte de jure naturae illi obstet: sicut etiam in aliquo casu particulari, non dispensare, sed declarare, quod jus Divinum non obliget: cum enim potestas isthaec sit Ecclesiae necessaria ob humanarum rerum vicissitudines, bono ejus regimini satis Christus non providisset, si Ecclesiae Caput tali potestate careret. Nec timendum, quod ea abuti possit in Ecclesiae perniciem, cum in ejusmodi casibus agat, ut universalis Ecclesiae Doctor, sub quo respectu speciali Dei assistentia gaudet, nec errare potest.

419. Praemittendum 2.°, quod in impedimentis dirimentibus de jure Ecclesiastico non est, nisi solius Rom. Pont. dispensare, ex dictis l. 1. n. 104., et sequ.: ac solum Episcopi id possunt, ante Matrimonium, si gravis urgeat necessitas, quae non patiatur accessum ad Pontificem, ut legitimandae prolis, infamiae vitandae, ec., et impedimentum sit occultum: his namque positis, et praesumitur Pontifex dispensare, et lex impedimenti, utpote cessans *negative*, et *contrarie*, non obligat, ex dictis l. 1. n. 102. Quod si impedimentum sit publicum, id non potest, ut advertit Lig. n. 1122., cum cesset utraque ratio, et debent sponsi a nuptiis desistere. Post Matrimonium vero ex rationibus modo allatis id potest, si gravis urgeat necessitas, quae non patiatur accessum ad Pontificem, et Matrimonium bona fide contractum fuerit

saltem ex parte unius conjugis, nec requisitae solemnitates neglectae fuerint; ait enim Trid. *sess.* 24. *c.* 5., quod si quis *scienter* innodatus impedimento contraxerit, vel *ignoranter*, sed neglectis requisitis solemnitatibus, *spe dispensationis careat*. Talem vero potestatem potest Episcopus ex Lig. n. 1125. etiam aliis delegare, cum non sit adnexa industriae, sed dignitati, et officio personae, ideoque *potestatis ordinariae jura habeat*. Quid tamen a Confessario agendum, si Sponsi ad Ecclesiam accesserint ad celebrandum Matrimonium, eorumque alter impedimentum de jure Ecclesiastico occultum illi manifestet, dum omnia sunt parata, et nec Matrimonium possit absque scandalo, atque infamia differri, nec ipse Episcopus adiri? Ad quod respondet Lig. n. 613., quod hisce positis, Confessarius ipse declarare potest, impedimenti legem non obligare, et Matrimonii celebrationem indulgere: cum enim sit de legis essentia, quod *in aedificationem, non in destructionem* sit, statim ac proinde evadit noxia, certe non obligat, eritque, ut D. Th. docet 2. 2. qu. 120. a. 1., *malum sequi legem*. Quod et dilucide probat *Pav. in op. Luce etc. n.* 317.

420. Praemittendum 3.°, quod ad petendam Dispensationem ab impedimento de jure Ecclesiastico adesse debet ex dictis l. 1. n. 108. causa sufficiens: eoque gravior esse haec debet, si agatur de consanguinitatis, vel affinitatis impedimento, quo gradus sit propinquior. Censetur porro sufficiens extinctio gravis odii, vel litis inter propinquos; ablatio scandali; inaequalitas Matrimonii, nisi inter propinquos fiat; defectus congruae dotis; conservatio facultatum in eadem cognatione;

meritum petentis dispensationem; instauratio Matrimonii bona, vel etiam mala fide jam initi; necessitas auxilii ex parte mulieris, ut possit suis negociis assistere, vel filiis ex alio Matrimonio susceptis providere; aetas foeminae excedens annum 24.: etiamque, quidquid dicat Conc., subministratio pecuniae, ut docet Lig. n. 1130. cum Ben. XIV. *Not.* 87., etc.; ut enim praecepit Innoc. X., subministrationes hujusmodi non commiscentur cum aliis pecuniis thesauri Cameralis, sed in monte pietatis reservantur, a quo non extrahuntur, nisi de mandato Pontificis, nec nisi in pia opera: ex quo sequitur, quod cum in hujusmodi opera erogentur, causa satis justa sunt, ut Ecclesia dispenset.

421. Praemittendum 4.°, quod ut dispensatio sit valida, nec obreptitia, nec subreptitia esse debet, ex dictis l. 1. n. 111.. Qua super re haec prae oculis habeantur, ne dispensatio sit irrita: 1.° quod omnia impedimenta, quae adsunt, explicanda sunt; et an cognatio carnalis, vel spiritualis sit, et in quo gradu. Qui si sit inaequalis, et manifestetur remotior tantum sive consanguinitatis, sive affinitatis gradus, tacito propinquiori, declaravit Ben. XIV. Brevi *Etsi Matrimonialis*, Matrimonium esse invalidum, si gradus propinquior praetermissus sit primus, aut secundus consanguinitatis, vel affinitatis: ut si sponsi sint in 1.°, ac 2.° consanguinitatis, vel affinitatis gradu, fueritque expositum dumtaxat, quod erant in 2.°; sicut etiam si sint in 2.°, ac 3.° consanguinitatis, vel affinitatis gradu, fueritque expositum dumtaxat, quod erant in 3.°. Si vero sint in 3.°, ac 4.°, fueritque

expositum dumtaxat, quod erant in 4.°, Dispensatio fuit valida, ac Matrimonium quoque validum, sed conjuges separandi sunt, donec obtineantur literae Declaratoriae super gradu propinquiori, ex Motu proprio S. Pii V., cujus initium *Sanctissimus*. Qua super re advertendum quoque est cum Lig. n. 1136., quod in gradu inaequali mixto exprimendum quoque est ad validam Dispensationem, quinam sexus sit in 1.°, num vir, an mulier, quia difficilius conceditur, ut nepos ducat amitam, quam patruus ducat neptem. 2.° quod causarum, quae allatae fuerint, tam veritas, quam verificatio ad dispensationis valorem pertinet, ex Const. ejusd. Ben. *Ad Apostolicae servitutis*. Si tamen dubitetur, an causa allegata vera sit, vel falsa; vel an ea, quae falso est allegata, fuerit finalis, vel impellens tantum, in his, aliisque similibus dubitationibus standum pro valore dispensationis, ut advertit Lig. n. 1133., quia in dubio standum pro valore actus. Procul dubio tamen irrita est, si in petitione exposita fuit copula, quae revera non adfuerat. 3.° quod quum petitur Dispensatio super consanguinitatis, vel affinitatis impedimento, explicanda est copula incestuosa inter Sponsos habita; nec non si inter eos attentatum fuerit Matrimonium; si istud contractum fuerit cum notitia impedimenti, vel omissis denunciationibus; si plura adsint impedimenta ejusdem rationis, puta plures incestus cum eadem consanguinea, vel affine, ut advertit Lig. n. 1138., tum ex Brevi cit. *Etsi Matrimonialis*, tum quia licet hujusmodi impedimenta non sint specie diversa, sunt tamen numero distincta. Immo si explicata fuerit copu-

la incestuosa inter Sponsos habita, sed omissum fuerit, quod eam habuerint ad facilius obtinendam Dispensationem, declaravit Ben. XIV. Const. *Pastor Bonus*, quod Dispensatio est irrita, si fuerit *super impedimento primi, et secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis, seu affinitatis.* 4.° quod si post petitam Dispensationem ob impedimentum affinitatis ex copula illicita, rursum Sponsus ante Matrimonii celebrationem rem habuit cum Sponsae consanguinea, valida adhuc est Dispensatio, si id fuerit antequam Dispensatio fuerit executioni data per Decretum *liceat contrahere*, cum nova copula affinitatem non augeat. Si vero id fuerit post executionem Dispensationis, docent quidem non pauci, quod nova Dispensatio requiratur ob novum impedimentum, quod ab ipsis dicitur *affinitatis supervenientis*; sed probabilius Lig. id negat n. 1140., tum ex praxi S. Poenit., ut ipsemet testatur; tum ex Decl. S. C. ap. *Conradum*; tum ex ratione supra allata, quod nova copula affinitatem non auget. Advertens simul n. 1138., quod si quis habeat plura impedimenta affinitatis ejusdem gradus, puta si cognoverit duas sorores suae Sponsae, debet in supplicatione Dispensationis utramque copulam ex supra allatis rationibus exprimere. 5.° quod si post petitam Dispensationem super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, Sponsus rem prima vice habuit cum Sponsa ante celebrationem Matrimonii, valida adhuc est Dispensatio, si id fuerit post Dispensationis executionem per Decretum *liceat contrahere*; idque probabiliter ex Lig. n. 1141., licet Dispensatio fuerit cum clausula, *modo culpa non interfuerit*,

cum satis sit ad ejus valorem, quod ante illam non intervenerit: irrita vero, si id fuerit ante executionem Dispensationis, tum ex Decl. S. C., tum quia ad valorem Dispensationis requiritur, quod, dum executioni datur, omnia inveniantur perinde ac fuere exposita. 6.° quod si in petitione Dispensationis super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita fuerit quidem exposita copula habita cum Sponsa, sed rursum fuerit habita cum eadem ante Matrimonii celebrationem, distinguendum est: si Dispensatio obtenta fuerit *in forma ordinaria*, solvendo scilicet integram compositionem, nova non requiritur, sive copula fuerit rursum habita ante Dispensationis executionem, sive postea. Si vero obtenta fuerit *in forma pauperum*, nihil solvendo, vel non solvendo integram compositionem, rursum distinguendum: si copula fuerit rursum habita post Dispensationis executionem, Dispensatio adhuc valet. Si vero ante Dispensationis executionem, Dispensatio est irrita, et nova Dispensatio requiritur, tum ex Decis. Pauli V. 22. *Mart.* 1607., tum ex praxi, quae, Conrado teste, *numquam contrarium admisit, quia in Dispensationibus in forma pauperum separatio jubetur. Ideo si durante separationis tempore, vel etsi hoc desierit, tamen ante Dispensationis executionem rursus rem inter se habeant, in hujus inobedientiae poenam declaratum est, Dispensationem fieri irritam* (*l.* 8. *c.* 5. *n.* 37.). Ex quo sequitur, quod si per negligentiam jussa, vel facta non fuerit talis separatio, nec etiam nova copula irritam reddit Dispensationem. 7.° quod si concurrant plura impedimenta, ac dispensa-

tio unius reddat difficiliorem dispensationem alterius, debent simul exponi, ac secus Dispensatio est irrita, ex Lig. n. 1139. Quod et diximus l. 1. n. 111., cum secundo petitur absque primae Dispensationis mentione, si haec valde adaugeat difficultatem secundae. Casu autem, quod ex pluribus impedimentis unum ex iis esset publicum, et aliud secretum infamiam afferens, ut si quis velit ducere consanguineam, cujus sororem occulte cognovit, recurrendum est super publico ad Datariam, ac simul super utroque ad Poenitentiariam. 8.° quod si quis petendo Dispensationem falso, vel falsam exposuerit paupertatem, tenetur quidem solvere quod debuerat, sed Dispensatio est valida, ex Decl. S. C. *ap. Monacelli.* Pauperes autem sunt, ut scribit *Conradus*, quorum redditus non pertingunt ad 50. scuta: pauperes vero, ac miseri qui manuum suarum laboribus vivunt.

422. Demum cum in literis S. Poenit apponi soleat clausula, *dummodo immedimentum occultum sit*, praemittendum 5.°, quod cum Poenitentiaria dicit, *dummodo sit omnino occultum*, ut dicere solet in impedimento criminis, dici tunc nequit occultum quod per duos testes probari posset. Cum vero deest illud *omnino*, docet Lig. n. 1111. cum Ben. XIV. *Not.* 87., 1.° tunc Confessario abstinendum esse ab exequenda Dispensatione, cum ex circumstantiis conjicere potest, impedimentum ex occulto posse fieri publicum. 2.° impedimentum dici per se occultum, cum notum est in Oppido sex solis personis, in Civitate septem, vel octo; immo testatur ex propria scientia, aliquando S. Poenitentiariam dispensasse in quodam consan-

guinitatis impedimento decem circiter personis noto. 3.° quod aliquando crimen potest esse publicum, et impedimentum ex eo proveniens occultum, quia ignoratur ab illa copula oriri impedimentum affinitatis; in quo casu potest quoque Dispensatio a S. Poenit. impetrari. Nedum caeterum recurrendum est ad S. Poenitent., cum agitur vel ante, vel post Matrimonium de impedimento occulto ex delicto, sed etiam, ut declaravit Ben. XIV. Bulla *Pastor bonus*, cum agitur post Matrimonium *de secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu ex copula licita*, si impedimentum sit, fueritque *saltem per decennium occultum, et Oratores simul publice contraxerint, et convixerint, et uti conjuges reputati fuerint.* Sicut etiam post Matrimonium *in tertio, et quarto gradibus occultis*; *atque in iisdem publicis*, cum Matrimonium fuerit nullum *ex causa subreptionis, et obreptionis occultae Literarum Apostolicarum*; *praeterquam si falsitas consistat in narratione praecedentis copulae, quae revera non intercesserat.* Quo tamen in casu ad M. quoque Poenitentiarium recurrendum est, qui specialem ad id facultatem sibi obtinebit. Qua super re demum notandum, quod cum Dispensatio petitur a Dataria, exprimi debent nomen, cognomen, Patria, et Dioecesis contrahentium, dumque Sponsi diversas Dioeceses habent, utraque uniuscujusque Dioecesis; cum vero petitur a Poenitentiaria, suppressis partium nominibus, aliisque, exprimi tantum debet persona, et locus, quo Literae sunt dirigendae. Quae ap. Lig. n. 1144., et sequ.

423. Quibus praemissis, quomodo Matrimonia nulliter inita revalidanda sint, videamus. Et 1.° si Ma-

trimonium fuerit nullum ex defectu consensus ex utraque parte, utraque etiam consensum renovet, necesse est, et verbis, vel alio signo externo illum exprimat. Si vero defectus consensus fuit tantum ex una parte, ad revalidandum Matrimonium sufficit, quod haec sola consensum renovet. Et quamvis aliqui velint, teneri ad monendum conjugem de nullitate Matrimonii, verior tamen, et communis sententia cum Lig. n. 1114. id negat: 1.° ex C. *Ad id* 21. *de Sponsal.*, ubi: *Quamvis ab initio invita fuisset ei tradita, tamen quia postmodum per annum, et dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, et ad ipsum est cogenda redire.* 2.° quia cum alterius consensus fuerit jure et naturali, et positivo validus, ac moraliter adhuc perseveret et in affectu maritali, et in cohabitatione, etc., hinc accedente consensu illius, qui ficte, vel coacte consensit, nihil deest, quin Matrimonium dicatur omni ex parte perfectum; non enim in contractu Matrimonii requiritur simultas physica consensuum Sponsorum, sed sufficit simultas moralis, quod nempe consensus unius moraliter perseveret, dum ponitur consensus alterius. Quod autem pars, quae liberum consensum praestitit, forte illum negaret, si rursus esset requisita de novo consensu, non obstat, quia hic interpretativus dissensus non est verus dissensus, ac interim consensus olim impertitus jam perseverat.

424. Si vero Matrimonium fuerit nullum ob aliquod impedimentum Ecclesiasticum, in hoc casu quum poenitens est in bona fide, in hac quoque ex Lig. cum communi n. 1123. est relinquendus, si moneri nequeat de nullitate Matrimonii absque periculo

infamiae, aut scandali ex separatione secuturi; nec cum Dispensatio potest commode obtineri a S. Poenit., potest tunc Episcopus dispensare, quamvis plures fornicationes materiales interim habeantur, interimque Confessarius obligare debet poenitentem sub aliquo praetextu, ut redeat post obtentam Dispensationem, quam cum ejus venia ipse Confessarius petat absque eo quod in mala fide eum constituat. Post obtentam autem Dispensationem revalidatur Matrimonium, renovato consensu inter conjuges per verba de praesenti, et certiorata prius parte inscia de nullitate prioris consensus. Diximus *renovato etc.*, quia neutrius consensus antiquus fuit legitimus, cum non caderet in legitimam materiam. *Certiorata etc.*, nam, ut Lig. disserit n. 1115., in Literis S. Poenitentiariae semper ejusmodi clausula apponitur; eamque apponi, ut conditionem, non vero ut simplicem instructionem, ex eo patet, ut scribit Bened. XIV. *Not.* 87., quod ablativum absolutum juxta Jurisperitos veram importat conditionem ex *l. A. testator ff. de condit.*, *et demonstr.* Quod si ex tali certioratione timeatur vel quod pars parvipendens infamiam inde secuturam, velit separari, vel aliud hujusmodi, monet Ben. XIV. *l. c.*, petendam esse Dispensationem *in radice Matrimonii*, idest, quod Pontifex dispenset, ut Matrimonium contrahatur absque novo consensu partis impedimenti insciae, et pro valido habeat consensum ab illa praestitum, quum se conjunxit, de jure quidem positivo irritum, sed de jure naturali utique validum, ac virtualiter in conjugali copula, voluntaria cohabitatione, aliisque Matrimonii effectibus adhuc perseverantem.

425. Quia tamen Dispensatio *in radice Matrimonii* difficillime obtinetur, ut *l. c.* idem Ben. ait, hinc si, praefatis circumstantiis non obstantibus, non obtineatur; sicut etiam si poenitens sit in mala fide, et nec possit ex supra allatis causis separari a conjuge, nec possit adiri Episcopus: cum, hisce positis, cesset impedimenti lex et *privative*, et *contrarie*, consequenter etiam, ex dictis l. 1. n. 102., cessat quoque obligare, ac tuto Matrimonium revalidari potest per copulam maritali affectu habitam, quin pars impedimenti inscia de eo fiat conscia, ut docet Lig. n. 1115., et sequ.: cum enim consensus a parte impedimenti inscia in nubendo praestitus de jure naturae fuerit validus, ac jure tantum positivo irritus, ac virtualiter perseveret in tot Matrimonii effectibus, qui ex primo consensu procedunt; nemo non videt, quod accedente novo consensu ex altera parte, nihil obstat, quin Matrimonium dicatur perfectum, nisi tantum jus positivum. Hoc autem eo ipso desiit obligare, quod et *negative*, et *contrarie* desierit: ergo. Et sane cum Pontifex dispensat *in radice Matrimonii*, ideo hoc revalidatur, quia Pontifex tollit impedimentum. Cum ergo in praefatis circumstantiis cesset quoque impedimenti lex juxta doctrinam ab omnibus DD. traditam, quod cum lex quaevis cessat non solum *negative*, sed etiam *contrarie*, cessat quoque ipsa lex, nedum si cesset *contrarie* respectu totius Communitatis, sed etiam si taliter cesset respectu cujusvis Individui, cum sit de legis essentia, quod sit *in bonum*, *et in aedificationem*: hinc per consensum expressum petitione conjugalis copulae a parte conscia

impedimenti accedentem ad consensum praestitum a parte inscia dum nupsit, et virtualiter perseverantem in tot Matrimonii effectibus, ut diximus, utique Matrimonium revalidari, consequens est. Nec obstat, quod novus consensus, qui a parte inscia praedicto modo praestatur, sit in errore fundatus, falso scilicet credens, Matrimonium fuisse validum: tunc enim consensus in errore fundatus nullam vim habet, cum error versatur circa substantiam rei, de qua agitur, uti esset in casu nostro, si versaretur circa personam, non vero cum versatur tantum circa circumstantiam, etiamque, errore cognito, res esset volita. Hoc autem in casu nostro habetur; error namque, in quo versatur pars impedimenti inscia, non est circa substantiam, idest personam, quam per copulam conjugalem tamquam uxorem cognoscit, sed tantum circa circumstantiam, idest impedimentum a jure positivo appositum, quodque obligare desiit: recte etiam praesumitur, quod si pars inscia nullitatem sciret Matrimonii, illud aeque libenter contraheret, cum praesumptio sumatur ex communiter contingentibus, et experientia constet, quod monitis poenitentibus de nullitate Matrimonii, nedum non repugnant, ut revalidentur, quin etiam illud instanter petunt: Nihil ergo obstat, quin consensus, quem hic, et nunc praestat, vim suam habeat, et ex eo Matrimonium revalidetur. Nec etiam obstat, quod cum agatur de valore Sacramenti, non licet uti opinione probabili: nam 1.° quod diximus, non est tantum probabile, sed moraliter certum. 2.°, quia, ut respondet Lig. n. 1116., utique licet in casu extremae, vel urgentis necessitatis

uti opinione etiam tenuiter probabili, quia id, quod esset indecens erga Sacramentum, non est indecens, quando necessitas, vel bonum animarum urget. Accedit demum S. Poenit. Rescriptum ap. Pav. *Luce etc. n.* 298.

426. Hoc igitur modo Matrimonia nulliter inita sunt revalidanda: quae si fuerint inita in facie Ecclesiae, et impedimentum sit occultum, opus non est, ut innuimus n. 371., quod *revalidatio* fiat coram Parocho, et testibus, ex constanti S. Poenitentiariae praxi, ac pluribus S. C. Decl., et Rotae Rom. Decisionibus, teste Ben. XIV. *Not.* 87.; nam Trid., ut Lig. disserit n. 1110., praescribit praesentiam Parochi, et testium ad probandam externam Matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur, ne iidem conjuges alias nuptias ineant; idque jam factum est. Si vero impedimentum sit publicum, publice etiam est Matrimonium revalidandum. Quomodo autem renovari debeat consensus a parte impedimenti inscia extra casus supra expositos, in quibus ob necessitatem sufficit copula maritali affectu habita, prae oculis haberi debet et quod non reveletur alterius crimen, et quod pars inscia ponat consensum absolutum, et a priori independentem. Qua super re ita P. Pav. in opere, cui tit. *Luce etc. n.* 203.: *Se la parte innocente è intesa del fallo, è facile l'informarla della nullità del consenso prestato, allorchè si contrassero le nozze, e lo rinnoveranno, dicendosi scambievolmente: Ti voglio per moglie: Ti voglio per marito. È facile ancora, quando sebbene l' innocente non sia intesa del fallo, nondimeno essendo semplice, e vivendo contenta col supposto conjuge, non v' è timore, che venga in co-*

gnizione di ciò, che è, e possa derivarne alcun male. Allora dirà la parte rea all' innocente: Mi ha detto il Confessore, che quando sposammo, il consenso, che da noi si diede, non fu buono. Noi eravamo ignoranti di queste cose. Dunque diamolo ora buono. Mi vuoi per marito? E rispondendo di sì, soggiungerà: Ed io ti voglio per moglie. Ed è fatto tutto. Quod si pars inscia sit callida, dici poterit ex Lig. n. 1117.: *Quando nupsi, non habui verum consensum; nunc praestare volo. Vis et tu praestare?* Idque recte, et sine mendacio, cum consensus nullus non sit verus consensus.

427. Notandum demum quoad executionem Dispensationis, quod cessante Dispensationis causa, antequam Dispensatio expediatur, vel executioni detur, cessat et Dispensatio: secus vero valde probabiliter ex Lig. n. 1132., si causa cesset Dispensatione jam expedita, et executioni data, tametsi cesset ante celebrationem Matrimonii; quia sublato per Dispensationem impedimento, etsi postea cesset causa, minime reviviscit. In dispensando autem poterit Delegatus, cui Dispensationis executio commissa fuerit, hanc vel similem formulam adhibere post datam Sacramentalem absolutionem: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi* (seu *secundi*, seu *primi, et secundi*) *gradus proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris, cum qua contraxisti* (vel *contrahere intendis*), *ut Matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu; et prolem, quam suscepisti* (vel *suscipies, legitimam declaro, in nomine Patris etc.* Quod si Di-

spensatio sit a voto castitatis: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas Matrimonium contrahere, et illo uti, in opera, quae tibi praescripsi, dispensando commuto, in nomine etc.*. Quod si Matrimonium jam inierit: *Item non obstante castitatis voto, quod emisisti, ut in Matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, auctoritate Apostolica tecum dispenso, in nomine etc.*

LIBER VII.

DE CENSURIS.

Agimus postremo loco de censuris; qui enim graviori quodam modo leges Decalogi, vel Ecclesiae violaverit, vel Sacramenta contemptui habens, *Filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est* (*ad Heb.* 10.), graviori etiam modo puniri convenit, ut per censuras fit. Sit igitur.

Caput I.

De censuris in genere, ac de absolutione ab iisdem.

1. Et 1.° definitur censura *poena spiritualis, et medicinalis ad tempus ob gravem, externamque culpam inflicta, qua homini baptizato, et contumaci aufertur usus quorumdam bonorum spiritualium. Poena spiritualis*, animam scilicet magno bono privans. *Et*

medicinalis, finis namque, ob quem Ecclesia censuras infligit, est frangere rebellium contumaciam, eosque ad obsequium flectere. Quare Ap. cum excommunicasset Corinthium: *Ut spiritus* (ait) *salvus sit in die Domini nostri J. C.* (1. *ad Cor.* 5.); in quae ita D. Th.: *Ut scilicet peccatorum turpitudinem cognoscens, confundatur, et poeniteat* (*lect.* 1. *in ep.* 1. *ad Cor.*) *Ad tempus*, ut distinguatur a degradatione, et depositione, ac irregularitate, quae ex se sunt perpetuae. *Ob gravem, externamque culpam inflicta*, nemo enim puniri potest absque culpa; utque puniri possit poena gravi, qualis est censura, culpa etiam esse debet gravis, exceptis casibus infra dicendis; eaque externa, tum quia de internis nequit Ecclesia judicium ferre, tum quia censura, licet sit poena spiritualis, infligitur tamen in exteriori Ecclesiae foro. *Qua homini baptizato*, baptismus namque est janua, per quam homo in Ecclesiam ingreditur, ex dictis l. 1. n. 94., fitque ejus legibus, ejusque poenis subditus. *Et contumaci*, nonnisi enim contra contumaces habet potestatem Ecclesia censuras ferendi, ut patet ex illis Christi verbis *Matth.* 18.: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus*: nec non ex 2. ad Thess. c. 3., ubi Ap.: *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Quemadmodum enim D. Th. disserit: *Quia excommunicatio est gravissima poenarum, et poenae medicinae sunt; sapientis autem Medici est a levioribus medicinis incipere, et minus periculosis: ideo excommunicatio infligi non debet, etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit;*

tunc enim Judex jam non habet quid contra ipsum faciat amplius (*In* 4. *Sent. Dist.* 18. *q.* 2. *a* 1.). Eadem autem S. D. ratio militat quoque pro suspensione, et interdicto. *Aufertur etc.*, non enim per censuras auferuntur vel bona spiritualia, quae sunt propria, ut habitus virtutum, vel ea, quae proveniunt a privatis fidelium orationibus, potest enim, ut Lig. ait n. 162., quivis privatus, etiamque Sacerdos, tamquam persona privata, pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus, et sacro, eorumque in *Memento* in particulari meminisse; sed ea, quorum dispensatio Ecclesiae credita est, ut suffragia publica, aliaque, de quibus infra.

2. Distinguitur autem censura essentialiter in *excommunicationem*, *suspensionem*, *et interdictum*, de quibus singillatim infra. Accidentaliter vero 1.° in eam, quae est *a jure*, per canones nempe, constitutiones, vel statuta Ecclesiastica, stabili, ac permanente lege; et eam, quae est *ab homine*, latam nempe a Praelato per modum mandati, vel sententiae: differuntque inter se quoad durationem; illae enim durant post mortem ferentis; hae vero post mortem ferentis non durant, modo tamen contractae non fuerint, in quo casu durant, donec absolvantur. Qua super re advertit Lig. n. 6., quod censurae, quas fert Episcopus in Synodo Dioecesana, dicuntur latae per modum statuti; ideoque, tamquam latae a jure, durant post mortem Episcopi. Aliae vero extra Synodum dicuntur latae ab homine per modum mandati, vel sententiae, ideoque per mortem ferentis cessant, sive mandatum fuerit generale, sive particulare. Subdi-

stinguitur enim censura ab homine in eam, quae est ab homine *per sententiam generalem*, *idest quae nulla singularis facti*, *aut personae determinatione fertur* ; et in eam, quae est ab homine *per sententiam particularem*, idest *quae certas personas*, *vel factum aliquod particulare afficiat*: cujus generis proinde sunt censurae impositae in monitoriis contra non revelantes: differuntque inter se, quod cum censura lata fuerit *per sententiam particularem*, nequit absolvi, nisi ex commissione specialissima, *ne Judicum* (ait Viva) *jurisdictio perturbetur*, *eorumque auctoritas contemnatur* : ob quam rationem idem quoque DD. docent, si delictum ad forum deductum fuerit. 2.° in censuram *latae*, et *ferendae sententiae*: ad quod dignoscendum, attendenda sunt verba ferentis, quae si sint praeteriti, vel praesentis temporis, ut *excommunicavimus*, *excommunicamus*, *etc.*, vel dicant *ipso facto*, *ipso jure*, *sine alia sententia*, vel imperativo modo pronuncient *incidat in excommunicationem*, *etc.*, censura est primi generis; secus, secundi generis. In dubio tamen putanda est ferendae sententiae, quia ex reg. jur. in 6., in dubiis circa poenas *benignior est interpretatio facienda*.

3. Quibus praemissis: potestatem censuras infligendi Ecclesiam habere, probatur 1.° ex eo quod Deus in lege veteri potestatem dederat Synagogae anathematis poena animadvertendi in impios, qui cum contumacia caeteris essent scandalo. Qua potestate Judaei abutentes, comminabantur, ut qui *confiteretur*, *Jesum esse Christum*, *extra Synagogam fieret* (Jo.9.). Ergo, et multo magis eamdem Ecclesiae dedisse, dicendum

est. 2.° ex verbis Christi tum Petro seorsim: *Quodcumque ligaveris super Terram, erit ligatum et in Coelis* (*Matth.* 16.); tum illi cum caeteris Apostolis: *Quaecumque alligaveritis super Terram, erunt ligata et in Coelis* (*Matt.* 18.). Et: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus* (*ibid.*); idest privetur fidelium communione. 3.° ex Ap. 1. ad Cor. 5.: *Judicavi eum, qui sic operatus est, in nomine Domini J. C. tradere Satanae.* Et 1. ad Tim. 1.: *Ex quibus est Hymenaeus, et Alexander, quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare.* In quae D. Th. lect. 1.: *Scilicet per excommunicationis sententiam, per quam aliquis separatur a communione fidelium, et a participatione Sacramentorum, et privatur Ecclesiae suffragiis, quibus homo munitur contra impugnationem Satanae.* 4.° quia Ecclesia est visibile Christi Regnum. In omni autem Regimine adesse debet jus statuendi poenas, quibus rebelles puniantur, et coerceantur. Eas autem infligendi potestatem habent, qui in Ecclesia ordinariam, vel delegatam jurisdictionem habent in foro externo, ut ex dictis sequitur: suntque Summus Pontifex; Episcopi, ac verius cum Lig. n. 10. eorum etiam Vicarii Generales; Vicarius Capitularis, Sede vacante; demum Generales, Provinciales, et Superiores locales Religionum juxta eorum Constitutiones, Parochis enim sublata est a consuetudine.

4. Ex eo autem, quod censura est *poena*, et *actus jurisdictionis in foro externo* sequitur 1.°, quod Episcopus nequit censuris ligare *per modum statuti* non subditum, qui domicilium nempe, vel semidomicilium

in sua Dioecesi non contraxerit, ut probabilius censet Lig n. 27., et l. 6. n. 591., quia statuta, seu leges nonnisi subditos ligant: bene tamen (subdit) *per modum mandati* alienum subditum in sua Dioecesi delinquentem, quia omnis delinquens sortitur forum illius loci, ubi delinquit, ex *c. fin. de foro comp.*: praeterquam si delinquens esset vel illius Episcopi Superior, ut illius Metropolita, vel Patriarcha; vel Regularis, nisi in hunc facultatem habeat, tamquam Delegatus Sedis Apostolicae, ex dictis l. 3. n. 27.; nec non si reus ei non subditus, antequam ipsius causa cognoscatur in Curia Episcopali, vel citatione praeventus fuerit, ab ejus territorio exeat (n. 26.). Episcopus vero in sua Dioecesi existens potest censuris ligare subditum in aliena Dioecesi existentem pro crimine in propria commisso, quia secus a nemine puniri posset: non tamen ex probabiliori cum Lig. n. 22. pro crimine commisso extra Dioecesim, vel in loco exempto, ex dictis l. 1. n. 96. Existens autem extra suam Dioecesim nec etiam subditum potest censuris ligare, quia nemo potest in alieno territorio jurisdictionem contentiosam exercere: excepto tamen casu ex Lig. n. 21. vel contumaciae tam manifestae, ut non indigeat cognitione causae; vel causae jam cognitae in propria Dioecesi; vel si censura feratur ad futura crimina cavenda per modum statuti; ac demum si vel injuste expulsus fuerit a sua Dioecesi, vel id faciat Episcopo loci consentiente. Bene tamen potest etiam in alieno territorio subditum ab iis absolvere, modo id sit absque strepitu judiciali (n. 72.). Sequitur 2.° quod censuris ligare nequit nedum carens jurisdictio-

ne, verum etiam eam habens impeditam per censuram, vel suspensam per legitimam appellationem (n. 50.). Sequitur 3.°, quod si vel causa in se est injusta, quia deest crimen, ob quod infligitur, vel etsi alioqui justa, juridice tamen non constat, quia reus de crimine non convincitur juridice, nec etiam subsistit censura; quae caeterum ex dictis l. 1. n. 74., etsi non liget in foro conscientiae, in foro tamen externo servari debet propter scandalum (n. 66.). In dubio tamen possidet Judicis potestas, et subsistit censura (n. 68.): sicut etiam si censura sit injusta non ex defectu causae sufficientis, sed ex parte ferentis, quia nempe ex ira, odio, etc., in quo casu, ut ait D. Th. *in* 4. *dist.* 1. *a.* 1., *valida est*, *habet effectum suum*, *et vere ligat*; quare et ait D. Greg. *hom.* 6. *in Ev.*: *Sententia Pastoris sive justa*, *sive injusta*, *semper timenda*. Sequitur 4.°, quod censuris ligari nequeunt mortui, sed tantum quoad eos declarari potest, quod dum erant in vivis censuram subierint: sicut etiam nec infantes, nec perpetuo amentes. Bene tamen iis ligari possunt impuberes doli capaces; quos tamen, commune est ap. Lig. n. 14., non incurrere censuras generaliter latas *a jure*, vel *ab homine*, nisi hoc expressum sit in lege, ut expressum est in Trid. *sess.* 25. *c.* 5. de ingressu puerorum in Monasteria Monialium, et in *c. Pueris fin. de sent. excom.* de impuberibus Clericorum percussoribus. Sequitur 5.°, quod Episcopi ligari nequeunt censuris, nisi a Rom. Pont., aut a jure, ubi de ipsis expressa mentio fiat, ex *c. Quia periculosum de sent. excom. in* 6.: quod tamen intelligi dumtaxat de suspensione, et interdicto, de

quibus fit mentio in *d.* c., docet Lig. cum Salm. n. 15., non autem de excommunicatione, cui subsunt Episcopi, etiamsi in jure nulla de iis mentio fiat. Reges demum, ac Reginae ligari nequeunt censuris ex privilegio, nisi a Rom. Pontifice.

5. Ex eo vero, quod censura est *poena medicinalis*, sequitur 1.°, quod a ferenda censura prudenter abstinendum est et dum *timetur*, *ne flagello fiat pejor*, *qui caeditur*, ut monet D. Aug. *ser.* 17.; et dum *correctio desperatur*, *nisi fiat ad terrorem aliorum*, ut monet Lig. n. 1.. Apposite etiam Trid. *sess.* 25. *c.* 3.: *Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est; cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex causis inculiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem.* 2.° quod nequit ferri censura ab homine, eaque, stando juri communi, certe esset invalida ex Lig. n. 49., et 54., ob delictum mere praeteritum, nisi tractum successivum habeat, vel quia reus in eo perseverat, vel ut cogatur scandalum tollere, aut per congruam satisfactionem injuriam resarcire.

6. Ex eo quod censura ferri nequit, nisi *ob gravem*, *externamque culpam*, sequitur 1.°, quod ea omnia, quae excusant a peccato gravi, ut parvitas materiae, impotentia legem implendi, defectus deliberationis, ignorantia invincibilis, eaque sive juris, sive facti, excusant quoque a censura. 2.° quod censura ob culpam omnino levem esset invalida, ex relatis Trid. verbis, et ex. c. *Nullus* 11. *q.* 3. Hic

tamen advertendum, quod suspensio non personalis, et interdictum generale incurri etiam possunt ob peccatum grave alterius, qui tamen sit Caput Communitatis: sicut etiam quod suspensio, vel interdictum ad breve tempus, et privans tantum aliquo sacrorum usu incurri possunt pro levi culpa: ac demum, quod minor Excommunicatio incurritur, etsi quis ob levitatem materiae solum venialiter peccet, colloquendo ex. gr. absque scandalo cum nominatim excommunicato in circumstantiis, in quibus non licet. Diximus autem *ob levitatem materiae*, neque enim minor excomm. incurritur ob peccatum, quod veniale sit ob imperfectum usum rationis. 2.°, quod irrita quoque esset censura ob culpam mere internam, praeterquam si actus interior praeceptus, aut vetitus necesssario cum exteriori conjugatur, ut cum infligitur censura contra *scienter* transgredientes. 3.° quod ad incurrendam censuram, nedum actus debet esse externus, sed et graviter externus, nec non perfectus, et consummatus in suo genere, nisi aliud verba legis exprimant, odia enim, ac poenas *restringi convenit*, ut saepe diximus. Hinc dum excommunicatur homicida, non ideo excommunicatur consulens, aut mandans, ac si in mandantes lata sit censura, nequo hos comprehendit, non secuto effectu. Hinc etiam si quis ex voluntate occidendi Sacerdotem sagittam in eum projiciat, sed illum non attingat, quamvis graviter peccet, non incidit tamen in excomm. latam contra percussores Clericorum. Quae ap. Lig. n. 30, et 34.

7. Ex eo quod censura nequit ferri, nisi *in contumaces*, sequitur 1.°, quod ignorans invincibiliter,

aliquid prohibitum esse sub censura, neque etiam censurae subjacet, quia deest contumacia, quae sicut in censuris *ab homine* praeexigit monitionem ex modo dicendis, ita in censuris *a jure* praeexigit scientiam censurae, quae monitionis locum habeat. Immo si censura lata fuerit in eos, qui *scienter*, vel *temere*, vel *audacter* aliquid fecerint, ab ea etiam excusat ignorantia vincibilis, modo non affectata, ut docet Lig. n. 48., quia ignorautia affectata et includit dolum formalem, et aequivalet scientiae, ex *C. Eos, qui, de Temp. Ord. in* 6. .°2.° quod ob contumaciae defectum excusatur quoque a censura delinquens ex gravi metu, modo non cogatur agere in contemptum praecepti, et modo delictum vetitum tantum sit lege Ecclesiastica; advertit namque Lig. n. 46., et l. 6. n. 1071., quod si agatur de malo gravissimo lege etiam Divina, ac naturali vetito, delinquens ex gravi metu non ideo a censura excusaretur, proscripta enim fuit a Ben. XIV., ut diximus l. 2. n. 187., prop., quae ajebat, acceptantes duellum ex gravi metu non incurrere censuras contra duellantes. An autem 3.° ob contumaciae defectum invalida etiam sit censura absque praevia monitione? Omnes conveniunt 1.°, quod censura a *jure*, vel *per modum statuti*, vel *per sententiam particularem respectu actionis futurae*, non indiget monitione, cum lex ipsa, vel sententia satis per sese admoneat. Idque ex probabiliori sententia cum Lig. n. 55., etiamsi censura comminata a jure sit ferendae sententiae, aeque enim monet lex infligens censuram latae sententiae, ac ferendae. 2.° quod nec etiam semper requiritur praevia monitio in suspen-

sione, vel interdicto particulari (secus in generali), quum nempe feruntur per modum non censurae, sed purae poenae in punitionem delicti praeteriti, tractumque successivum non habentis, ex c. *Tum litteris etc.* ap. Lig. n. 52. . 3.° quod quum censura fertur ab homine per sententiam particularem, monitio certe est necessaria necessitate praecepti: et quidem trina, vel ex Lig. n. 56. una tribus aequivalens; intra spatium, quod assignetur, ut peremptorium, sex saltem dierum, nisi ex justa causa ad brevius redigatur; personaliter reo facta, nisi fiat in ejus domo, vel si hanc non habeat, in Ecclesia, vel loco publico, quia ad effugiendam monitionem se occultaverit, vel fuerit semel personaliter monitus, vel monitio semel facta in ejus domo ad illius notitiam jam pervenerit; ac demum coram testibus idoneis, et in scriptis, exprimendo in scriptura, quam Judex et subscribere debet, et sigillo obsignare, causam censurae, ac scripturam tradendo ipsi reo intra mensem, si fuerit requisitus. Quibus temere omissis, Judex nedum lethaliter peccat, sed ut habetur *C. Cum medicinalis* 1. *de sent. exc. in* 6., *per mensem unum ab ingressu Ecclesiae, et Divinis Officiis noverit se suspensum*: a quibus poenis excusat quidem et urgens causa, quae moram non pateretur, et ignorantia, etsi crassa, ob clausulam *temere*: iis tamen ipsos Episcopos subesse, patet ex contextu: *Caveant autem Ecclesiarum Praelati, et Judices universi, ne praedictam poenam suspensionis incurrant.* An vero praevia monitio sit quoque necessaria ad valorem censurae, absolute negat Lig. n. 58., praeterquam si Judex excommunicet, su-

spendat, vel interdicat communicantem cum excommunicato, ex *C. Statuimus*, et *statutum*, *de sent. exc.*: 1.° quia in *C. Romana*, *de sent. exc.* censurae sine monitione inflictae vocantur injustae, sed non invalidae; 2.° quia in *C. cit. Cum Medicinalis* praecipitur, quod, lata censura absque praescriptis solemnitatibus, Judex illam relaxet. Valida igitur.

8. Quibus hactenus dictis addendum cum Lig. n. 67, quod in dubio, an quis inciderit, necne in censuram, non tenetur se gerere, ut censuratum, sive dubium sit juris, quia poenae sunt restringendae; sive facti, quia in dubio nemo expoliandus est jure, quod possidet. 2.° quod semel quadam censura innodatus potest et alias incurrere, etiam ejusdem rationis. 3.° quod propter idem delictum potest quis multipliciter ligari a jure, et ab homine, a Papa, et Episcopo, ita ut ab utroque absolvi debeat. 4.° quod is, qui unico actu duo peccata committat specie diversa, quorum unicuique censura est imposita, duas quoque censuras incurrit. 5.° quod si quis reiterat idem crimen, cui imposita est censura, toties quoque incurrit censuram, modo actus sit moraliter interruptus (n.28.).

9. Quoad absolutionem vero ab iisdem, quid super iis, si sint reservatae, possint Episcopi per C. *Liceat*, diximus *l.* 1. *n.* 119., *et sequ.*. Quibus addendum 1.° quoad casus Clementinos quod advertimus tam in Praefatione, quam l. 2. n. 109.: quoad eos vero Bullae *Coenae* quod Tridentinae sanctioni derogatum fuit per verba ipsius Bullae: *Nullus per alium, quam per Rom. Pont., nisi in mortis articulo, absolvi possit, praetextu quarumvis facultatum*

quibuscumque personis, etiam Episcopali, vel majori dignitate praeditis, per cujusvis Concilii Decreta concessarum. 2.° quod ibidem diximus ex Lig. n. 122., *nomine delicti occulti intelligi quodcumque delictum, quod non innotuerit majori parti oppidi, aut viciniae, aut collegii*, accipiendum esse, ut idem Lig. deinde advertit l. 6. n. 1111., cum grano salis, et praecise, ut explicavimus l. ant. n. 422.; nam si in Parochia essent mille personae, perperam diceretur occultum factum, quod scirent quadringenti, vel quingenti. 3.° quod Episcopi nequeunt alienigenas dispensare ab irregularitatibus, et absolvere a suspensionibus ex delicto occulto, si hae sint reservatae, etiamsi acquisierint in sua Dioecesi quasi domicilium, sed tantum rigorose suos subditos, ut Lig. advertit n. 93. ex Decl. Greg. XIII.

10. Tam a suspensionibus tamen, quam ab interdicto, et excommunicatione, si censura non sit reservata, ac tam ab iis latis a jure, quam ab iis latis ab homine ad instar statuti, vel sententiae generalis contra personas indefinitas, absolvere potest, nedum Episcopus, sed et quivis Sacerdos ab ipso approbatus; ut enim disserit Lig. n. 70., licet hic jurisdictione careat in foro externo, ideoque ex se id non possit, id tamen potest ex *C. Nuper de sent. exc.*: utque subdit, hujusmodi absolutio impertiri ab eo potest tum intra, tum extra Confessionem, ac valet etiam pro foro externo. Absolvendi autem non sunt a censuris, nisi praesentes, ac poscentes ab iis absolvi; valet namque absolutio a censuris data absenti, vel invito, sicut enim absens, et invitus potest censura ligari, ita

et absolvi; id tamen sine urgenti causa non licet, ne censura contemnatur. Poscens vero vi, aut metu gravi injuste incusso ab iis absolvi, nedum non absolvitur valide, sed et in aliam censuram, idest excommunicationem, licet non reservatam, incidit, ex *C. un. de his, quae vi in* 6. Nec demum ad absolvendum a censuris sufficit sola voluntas habentis facultatem ab iis absolvendi, sed requiritur etiam, ut advertit Lig. n. 116., quid externum, quo significetur absolutio impendi. Et quidem ad absolvendum in foro conscientiae sufficiunt ex Rit. Rom. verba ante absolutionem Sacramentalem adhiberi solita : *Ego te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti.* In foro vero exteriori adhibenda est forma, quae in ipso Rit. reperitur; eruntque etiam adhibendae coeremoniae, et preces in eodem praescriptae, si res sit multo gravis, vel Superior jusserit, quod reus absolveretur *in forma Ecclesiae consueta.* Quod si poenitens nequeat adhuc a peccatis absolvi, quia indispositus, potest tamen absolvi a censuris, si adsit necessitas ab iis illum absolvendi, et simul moralis certitudo, quod brevi redibit dispositus, ut a peccatis absolvatur, secus enim delinquentis resipiscentia, quae est censurae finis, non obtineretur. Ita *Pav. Luce etc. n.* 347. Immo ab ipsis Matrimonii impedimentis, facultate obtenta, dispensari posse absque Sacramentali absolutione propter indispositionem subjecti, docet idem Auctor n. 140., tametsi dicatur in litteris S. Poenit., quod dispensatio executioni detur *in Sacramentali Confessione.* Ab eo tamen, qui enorme aliquod crimen perpetraverit, antequam a censura, in quam idcirco in-

ciderit, absolvatur, exposcendum est juramentum de illo non amplius committendo, ex *C. De caetero*, et *C. Ex tenore*, *de sent. exc.*; secus, si crimen non fuerit adeo grave, ex Lig. n. 129.: sicut etiam quod prius parti satisfaciat; cui si aliquid sit solvendum, ac nequeat tunc solvere nec in toto, nec in parte; cautionem praestet, si possit, alias saltem juramentum solvendi, cum poterit, ex *C. Odoardus de solut.*, *et C. Ex parte* 23. *de verb. sign.*

Caput II.

De censuris in specie. Et 1.° *De excommunicatione, ejus nempe notione, speciebus, effectibus; deque lata in percussores Clericorum.*

11. Definitur haec *censura privans baptizatum communione Ecclesiastica.* Non dicitur *omni communione*, quia, ut advertit Lig. n. 133., nam etiam excommunicatus communicat cum fidelibus, tamquam membris unius corporis, in pluribus bonis spiritualibus; sed dicitur *Ecclesiastica*, quia tantum ex dictis n. 1. non communicat in bonis, quorum distributio ad Ecclesiam pertinet. Est autem duplex; minor, idest *privans tantum susceptione Sacramentorum, et passiva electione ad dignitates, et beneficia Ecclesiastica*: et major, quae proprie venit sub nomine excommunicationis, ut habetur ex *c.* 5. *Si quem* 59. *de sent. exc.*, idest *privans tam susceptione, quam administratione Sacramentorum, nec non communibus Ecclesiae suffragiis, orationibus, et indulgentiis*; ac dicitur etiam *anathe-*

ma, si lata sit cum majore solemnitate. Excommunicatus vero majore excommunicatione rursus est duplex: toleratus, idest *quem fideles non tenentur vitare*: et non toleratus, idest *quem fideles vitare tenentur*, qui idcirco et dicitur vitandus; qualis est tantum post Const. Concilii Constantiensis *Ad evitanda* a Martino V. confirmatam 1.° quivis nominatim excommunicatus, ac publice, ut talis, denunciatus: 2.° notorius Clerici percussor. Et 1.° *quivis nominatim excommunicatus*, expressè scilicet ejus nomine, vel ejus officii, ita ut nequeat cum alio aequivocari; *ac publice*, *ut talis denunciatus*, in loco scilicet publico, in quo sententia excommunicationis in eum lata legatur, vel affigatur: ex quo sequitur, quod neminem tenemur vitare, quamvis notorium sit, esse a jure excommunicatum, Lutheranum ex. gr., Calvinianum, etc., nisi insuper fuerit nominatim excommunicatus, ac publice, ut talis, denunciatus; nec Sacerdos tenetur, immo nec debet Sacrificium, vel Divinum Officium intermittere, eo quod advertat, adesse in Ecclesia excommunicatum notorium, Lutheranum ex. gr., Calvinianum, etc. Nec obstat, quod saltem ex praecepto tum D. Pauli, tum D. Jo. tenemur haereticos vitare, ita enim ille ad Tit. 3.: *Haereticum hominem post primam, et secundam correptionem devita.* Hic vero ep. 2.: *Nolite eum in domo recipere, nec Ave ei dixeritis*: id namque intelligitur praeceptum, cum adest vel denunciatio Ecclesiae, vel periculum infectionis, vel scandalum, vel spes, quod delinquens ex vitatione resipiscat. Id autem quod dictum est de excommunicatis compre-

hendit quoque suspensos, interdictos, immo et irregulares, qui similiter habendi non sunt, ut vitandi, nisi nominatim, ac publice, ut tales, denunciati fuerint; cum enim dixerit Conc. in laud. Const.: *Nemo deinceps, a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, vel aliis quibuscumque Divinis, vel extra praetextu cujuscumque sententiae, aut censure a jure, vel ab homine generaliter promulgatae teneatur aliquem vitare, nisi etc.*, manifestum est, ut disserit Lig. n. 140., locutum fuisse de irretitis per quamcumque censuram, vel sententiam. 2.° *Notorius Clerici percussor*; modo tamen, ut dicitur in cit. Const., *sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari*: ex quo probabiliter DD. inferunt, cumque iis Lig. n. 144., quod ut notorius Clerici percussor ipse quoque sit vitandus, praeter notorietatem facti requiritur insuper ordinarie notorietas juris, quod reus nempe sit in judicio confessus, vel per sententiam damnatus, secus namque etsi notorie constet percussisse, non tamen notorie constat *sententiam latam a canone*, idest censuram, incurrisse, cum semper aliquo suffragio excusare se valeat, dicendo, vel *ad defensionem percussisse*, vel *fuisse ebrium*, vel *censuram ignorasse*, etc.

12. Cum fideles porro excommunicatum toleratum vitare non teneantur, hinc iis licet cum illo communicare, nedum in humanis, sed etiam in Divinis; idque, ut probabilius censet Lig. n. 139., etsi absque necessitate, vel utilitate, Sacrum, vel Sacramen-

ta ab eo petendo, etc.: quum enim excommunicatus toleratus communicat rogatus, nec ipse tunc peccat, quia ob ipsum quod fidelibus directe concessum est cum eo communicare, ipsis quoque indirecte concessum videtur communicare cum fidelibus petentibus, nam si, istis petentibus, ipse adhuc peccaret, inutilis esset concessio fidelibus facta, quia saltem ratione charitatis non possent cum eo communicare. Subjungens simul, quod si toleratus sit in mortali (in quo regulariter est, donec ab habente facultatem ab excomm., et a peccato, ob quod in illam incidit, solvatur), ad licite communicandum cum eo in Divinis faciendum id est ex justa causa, puta necessitatis, vel utilitatis ex dictis l. 2. n. 78.; nisi ille teneatur ea praestare ex officio, si nempe esset Parochus, quia tunc alter utitur jure suo; vel jam paratus esset ea ministrare, quia tunc non inducitur a petente ad peccandum. Cum autem leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendae sint, hinc probabile etiam censet licere offerre pro excommunicato tolerato Sacrificia etc., etiam nomine Ecclesiae; cum enim fidelibus concessum sit communicare cum toleratis, concessum etiam videtur orationes publicas pro iis offerre; id namque etiam importat communicare ex *c.* 28., *et* 38. *de sent. exc.*: eoque magis, et quia jure antiquo non erat vetitum pro excommunicatis occultis suffragia publica offerre, ut colligitur ex *c. Cum ab homine*; et quia offerre Sacrificia pro excommunicato cedit etiam in commodum fidelium tum spirituale ob meritum charitatis, tum temporale ob stipendia, etc. (n. 164.). Si tamen fidelibus licet communicare cum ex-

communicato tolerato, huic e converso, etsi clam excommunicato, ut notat Lig. n. 138., nec in Divinis, nec in humanis licet cum fidelibus communicare, ait enim Conc. in laud. Const.: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, et interdictos, seu prohibitos, non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* Quavis proinde communicatione, cui sponte se ingerat, censuram violat: et quidem, ut praecise docet Cuniliati, communicando in humanis, *plerumque peccat tantum venialiter, quia in re levi deobedit Ecclesiae jubenti, ne communicet*: in Divinis vero, ipse excommunicatus toleratus (quod et valet pro interdictis, etsi toleratis) *peccat mortaliter*, idest *assistendo Divinis officiis, quorum nomine, praeter Missae auditionem, intelliguntur Horae canonicae, orationes publicae, processiones, benedictiones solemnes, cantus solemnis epistolae, aut Evangelii, aliaque hujusmodi* (*De excomm.* §. 3., *et* 6.).

13. Quibus praemissis, et ad effectus excommunicationis tam minoris, quam majoris properantes, minor, quae incurritur solum ob communicationem cum excommunicato vitando in circumstantiis, in quibus non licet, duos tantum effectus parit, ut ex ipsa ejus definitione patet; quorum primus est susceptione Sacramentorum privare. Hinc sequitur, quod tametsi in eam quis inciderit ob peccatum veniale, ut diximus n. 6. evenire posse, et istud tamen, utpote cum censura adnexum, explicandum est in confessione, mortale enim esset ex c. *Si celebrat* cum ejus vinculo Sacramentum suscipere. Satis probabiliter tamen ex Lig. n. 149. innodatus minore excomm. non peccat

Sacramenta ministrando, nisi ipse prius aliud Sacramentum suscipere deberet, de quo casu loquitur textus, qui opponitur; quia nedum in nullo jure reperitur ei vetita ministratio, sed tantum perceptio Sacramentorum, quin immo citatus canon haec habet: *Cum non videatur a collatione, sed participatione Sacramentorum remotus.* Alter vero ejus effectus est, quod privat electione passiva ad Beneficia; ex quo sequitur, quod Beneficium cum ea *scienter* suscipiens, immo, ut advertit Lig. n. 150., eligentes, praesentantes, et conferentes graviter peccarent, quia transgrederentur in re gravi Ecclesiae praeceptum; licet electio, ut sancitum legitur in dicto c., non esset irrita, sed *irritanda.* Hi ergo sunt effectus minoris excomm., a qua omnis Confessarius potest absolvere. Advertendum tamen, quod non minorem, sed majorem excommunicationem incurrit 1.° Clericus scienter communicans in Divinis cum eo, qui fuerit a Papa nominatim excommunicatus, utque talis publice denunciatus; 2.° communicans cum excommunicato vitando, dum sententia lata fuerit simul contra participantes, praecesseritque monitio; 3.° scienter cum eo communicans in criminoso, idest crimine, ob quod lata in illum fuerit excommunicatio; idque, ut addunt Salm., tametsi ipse Episcopus, qui ediderit excommunicationem: quodque in 1.° casu reservatio est generalis; in 2.°, et 3.° deliquens est absolvendus ab eo, a quo principalis absolvi potest (Lig. n. 199.).

14. Effectus autem excommunicationis majoris sunt privatio administrationis, et susceptionis Sacramentorum; privatio communium suffragiorum, et Divino-

rum officiorum; privatio communicationis forensis, et civilis; privatio usus jusisdictionis, et sepulturae Ecclesiasticae; demum nullitas electionis, praesentationis, et collationis Beneficii: de quibus singillatim. Et quoad 1.m, non toleratus, etsi requisitus, nequit licite Sacramenta ministrare, nisi in casu extremae necessitatis; extra quem nec etiam valide ministraret Sacramentum Poenit., quod requirit jurisdictionem, qua ipse caret, ex *c. Omnis, de Poen. et rem.*, et ex *c. Ad probandam, de sent., et re jud.*; caetera vero Sacramenta illicite quidem, sed valide: toleratus autem cuncta quidem Sacramenta ministrat valide, nam jurisdictione non caret, ut Lig. advertit n. 168.; non tamen licite, nisi in duobus casibus, in necessitate scilicet, et quoties requisitus, modo etiam sit in statu gratiae. Porro tam non toleratus, quam toleratus Sacramenta ministrans, praeterquam in casibus supra exceptis, irregularitatem incurrit; sicut etiam si solemniter baptizet, aut nuptias solemniter benedicat; secus, ex Lig. num. 171., si privatim: ubi etiam quaerit, an vitandus ministrans Sacramentum Poenitentiae extra casum extremae necessitatis irregularitatem incurrat? Quod etsi quidam negent, quia cum illud invalide ministret, deest actus consummatus, affirmandum tamen ipse respondet; tum quia actus satis consummatus dicitur, cum Minister intendit contra jus absolvere; tum ex *c. Si quis 7. caus.* 11. *qu.* 3., ubi declaratur irregularis quivis constitutus *in sacris, qui post excommunicationem praesumpserit quasi in officio suo agere, sicut prius*; ubi notandum illud *quasi*, quod similitudinem actionis importat.

15. Quoad 2., certum est, graviter peccare excommunicatum, sive toleratus sit, sive non, suscipiendo Sacramenta, nisi gravis metus mortis, infamiae, bonorum jacturae, etc. excuset, nec fiat in contemptum censurae; recte enim praesumitur, quod nolit Ecclesia cum tanto rigore ad censurae observantiam obligare. Quo in casu probabilius ex Lig. l. 6. n. 265., valide etiam suscipit Sacramentum Poenitentiae, quia praeceptum Ecclesiae prohibens excommunicato suscipere Sacramenta non obligat concurrente praecepto naturali vitandi mortem, infamiam, etc. Ideo autem excommunicatus invalide susciperet Sacramentum Poenitentiae, quia, stante prohibitione Ecclesiae, accederet indispositus: Hac igitur ob urgentem necessitatem cessante, et licite, et valide ipsum suscipere, dicendum est. Additque hoc lib. n. 158., et sequ., quod excommunicatus illud quoque suscipit valide, si ex ignorantia inculpabili credat, Confessarium facultatem habere illum absolvendi; dumque Confessarius facultatem hujusmodi non habeat, illum inadvertenter, vel etiam ex malitia absolvat; quia per censuram non fit incapax absolutionis, nisi ob prohibitionem Ecclesiae illam recipiendi, priusquam a censura absolvatur. Legem autem Ecclesiae id prohibentem ipse non violat, dum agit id ex ignorantia inculpabili, immo nec ab ea ligatur, cum lex non liget invincibiliter ignorantes: Non igitur absolutionis incapax; ideoque, ubi non desint caetera requisita ad Sacramenti essentiam, valide absolvitur. Tam toleratus tamen, quam non toleratus illicite Sacramenta suscipiens, peccat quidem graviter, sed nullam poe-

nam incurrit, ut advertit Lig., nisi tantum suspensionem, si recipiat Sacramentum Ordinis; quam etiam incurrit recipiens Ordinem ab Episcopo excommunicato vitando (n. 160., et 172.); ac praeterea irregularitatem, ut advertit l. 6. n. 799. si taliter ordinatus Ordinem in ipsa ordinatione exerceat.

16. Quoad 3., et 4., quomodo excommunicatus tam non toleratus, quam toleratus privetur communibus suffragiis, jam supra diximus: sicut etiam diximus quid intelligatur per Divina officia, quibus etiam privatur, ac tam non toleratus, quam toleratus interesse nequit absque gravi peccato. Et quidem si vitandus monitus nolit ab Ecclesia exire, aliam subit excommunicationem Papae reservatam, ex *c. Eos, de sent. exc.*; quam etiam subit interdictus denunciatus, qui pertinaciter velit Missae interesse, omnesque impedientes, ne excommunicatus, vel interdictus hujusmodi ab Ecclesia discedat. Cum autem excommunicatus vitandus renuit exire ab Ecclesia, tenentur Clerici eum expellere, aut si nequeant, ab Officiis cessare, etiam in die festo: in quo casu si Sacerdos consecraverit, potest, caeteris abeuntibus, Sacrum persequi usque ad Communionem, et reliqua in Sacristia, vel alio decenti loco perficere. Non prohibetur tamen excommunicato, etsi vitando, Ecclesiam tempore, quo non celebrantur Divina, ingredi ad orandum privatim, et seorsim ab aliis in distincto sacello; sacras immagines venerari, uti aqua benedicta, aliisque Sacramentalibus, quamvis fructum, qui oritur a benedictione Ecclesiae, non participet: sicut etiam concionem audire, quamvis ipse nequeat

concionari, nisi toleratus sit, et ab aliis requiratur, vel ad id teneatur ex officio, quia tunc praesumitur ab aliis requiri: obligatusque ad horas, non excusatur ab illis recitandis; quas tamen persolvens nec debet dicere *Dominus vobiscum*, sed *Domine, exaudi orationem meam*; nec potest socio uti ad recitandum. Ac demum Sacerdos excommunicatus, etsi toleratus, faciens coram se Missam celebrari incurrit irregularitatem, ex *C. Tanta, excess. Praelat.* (Lig. n. 175.).

17. Quoad 5.m, et 6.m, communicatio forensis, qua privatur excommunicatus vitandus, significat, quod ipse omni jurisdictione caret etiam in foro externo; nec solum Judicis munus exercere nequit, sed et si agat illud Advocati, Procuratoris, actoris, tabellionis, testis, etc., potest reus semper contra illum excipere, etiam post Judicis sententiam, ante executionem. Omnes quoque contractus ab eo facti nedum sunt illiciti, verum etiam ratione eorum non datur actio in foro externo: ac si ab eo fiant, tamquam persona publica, ratione muneris, vel Beneficii, sunt etiam invalidi, cum, utpote vitandus, omni jurisdictione careat. Hinc etiam invalide eligit, praesentat, confert, fert leges; et qui ab eo Beneficium accipit, dicitur intrusus, utque talis, absque alia sententia tenetur illud renunciare. Acta autem excommunicati tolerati probabile est, esse valida ob bonum commune; non tamen licita, graviter enim peccat, si absque necessitate talia exerceat (Lig. n. 185.). Communicatio civilis vero; qua etiam privatur excommunicatus vitandus, significat, quod ei

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os; per quod intelligitur osculum, et omne colloquium etiam privatum, etsi per nutus, literas, internuncium; nec non quodvis benevolentiae signum, ut missio, et acceptatio munerum, etc.. *Orare*, idest quaevis communicatio in Divinis, de qua supra. *Vale*, quod comprehendit omnem salutationem honorificam verbo, signo, vel amplexu; et probabilius ex Lig. n. 193. ipsam resalutationem, et rescriptionem, cum utraque etiam sit vera communicatio. *Communio*, quae comprehendit omne genus contractuum, collaborationem, cohabitationem, et id genus alia per modum societatis; quod prudens aestimabit. *Mensa*, omnis nempe convictus, et convivium in eadem mensa, vel triclinio, non tamen in eodem hospitio, aut diversorio, vel casu in eadem domo, vel eadem mensa. Quibus positis, communicatio in Divinis cum vitando est semper grave peccatum: in civilibus vero, exceptis casibus infra dicendis, in quibus licet, potest *per accidens* esse venialis ob parvitatem materiae, modo etiam sit absque contemptu, et scandalo, et nec in casibus allatis n. 13. in fine, nec reus inde sumat perseverandi occasionem in eodem pertinaciae statu; *de se* tamen est etiam mortalis, tum quia *C. Excomm.* 11. *qu.* 3. aeque prohibetur communicatio in Divinis, quam in humanis; tum quia *C. Except.* 7. *de except.* communicans civiliter cum excommunicato dicitur *in periculum animae suae communicare.* Quare sub praefatis etiam exceptionibus frequenter communicare in civilibus cum vitando probabilius ex Lig. n. 196. dicendum est mortale; cum enim communicatio etiam civilis tantum ex parvitate materiae

possit esse venialis, hinc si actus multiplicentur, et conjungantur, erit mortalis. Casus autem, in quibus licet, hoc comprehenduntur versu:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile; utilitas scilicet *vel propria*, unde licet ab eo consilium quaerere, si alius desit idoneus, medicinam ab eo, vel stipem petere, initam prius cum eo societatem continuare, non tamen licet novam societatem cum eo inire; vel etiam *ipsius excommunicati*, quare et licet concionem coram eo facere, ac illum privatim monere verbis, vel literis, ut convertatur, ideoque etiam ante, vel postea alia verba inserere, ac signa benevolentiae ostendere. *Lex*; per quod intelligitur licere filiis communicare cum parentibus, nec non uxori cum marito, nisi tamen intervenerit divortium, ac nisi excommunicatio fuerit ob dubium de valore Matrimonii, vel ob haeresim. *Humile*; per quod intelligitur licere cum excommunicato communicare, nedum filiis, nepotibus, pronepotibus, et in eodem genere affinibus, ut sunt nurus, privigna, etc., sed et servis, si ante excommunicationem illi erant addicti. *Res ignorata*; ignorantia enim sive juris, sive facti excusat communicantes, ex c. *Quoniam multos*; eaque satis probabiliter ex Lig. n. 205., etsi crassa; ita enim ibi: *Quoniam multos pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim simplicitate etc.* Etiam ergo vincibiliter ignorantes intendit Pontifex excusare, nullus enim perit ex ignorantia invincibili. *Necesse*, modo necessitas sit vera, et gravis, etsi aliena.

18. Quoad 7.^m^, jam diximus, quod per excom-

municationem amittitur omnis jurisdictio in foro tam interno, quam externo: cum hoc discrimine, quod vitandus nequit eam exercere nec licite, nec valide, praeterquam si absolvat in casu extremae necessitatis; toleratus vero eam exercet valide, sed non licite, nisi requisitus. Quoad 8.m, privatur quoque vitandus sepultura Ecclesiastica, ubi si forte sepultus fuerit, debet exhumari, si discerni possit, nec in eo loco possunt Divina peragi ante reconciliationem, ex dictis l. 2. n. 94., et l. 6. n. 200. Illum autem sepelientes incidunt in excomm. majorem, sed non reservatam; uti etiam sepelientes manifestos usurarios ap. Lig. n. 209.. An vero etiam id procurantes, hinc inde probabiliter disputatur, ut docet Lig. n. 186.: subjungens n. sequ., toleratos licite sepeliri in loco sacro, si cum signis poenitentiae decesserint. Quoad 9.m tandem nulla est omnis Beneficii collatio, electio, etc. facta in favorem excommunicati, ex dictis l. 3. n. 40., et verius ex Lig. n. 181., quamvis tolerati: ac nedum recipientes, sed et conferentes, etc. graviter peccant; et si excommunicatus sit vitandus, incidunt quoque in excomm. minorem, et suspensionem a collatione, etc. (n. 180.): ubi etiam advertit, quod valida est collatio, si in concessione Pontificis adsit clausula absolutionis ad effectum valide consequendum, nisi quis excommunicatus sit ob haeresim, quae non comprehenditur sub generali absolutione. Hinc sequitur, excommunicatum, etsi toleratum, non facere fructos suos; quos proinde restituere tenetur ante omnem sententiam, etiamsi postea absolvatur, et rite Beneficium obtineat. In quo

tamen casu, si excommunicationis tempore per se, vel alios satisfecerit officio adnexo, potest fructus retinere, quia fructus Beneficii vacantis, ubi non est usus *spolii*, spectant ad successorem: ubi vero esset lex *spolii*, posset tantum retinere fructus respondentes servitio praestito. Qui autem post Beneficium rite acceptum excommunicetur, probabilius ex Lig. n. 183. non privatur fructibus, nisi post Judicis sententiam. Porro quod dictum est de Beneficiis, dicendum quoque est de Dignitatibus Ecclesiasticis, ac de pensionibus Clericalibus. Dignitatum vero saecularium valida esset collatio, cum nullum habeatur jus irritans eorum collationem: ac solum illicite exercerentur, cum excommunicatus impediatur a suo officio exercendo.

19. Qua super re notandum ultimo cum Lig. n. 207., quod nemo tenetur excommunicatum vitare, nisi moraliter ei constet, illum esse vitandum, vel ad minus id sciat per publicam famam, vel per testimonium duorum dignorum fide, cuivis enim unico testi credere non tenemur: ac tantum in dubio, an quis sit, necne vitandus, non licet ab eo suscipere Sacramentum Poenitentiae ob periculum illud invalide suscipiendi.

20. Praecipui nunc casus recensendi essent, quibus excommunicatio adnectitur: sufficiat tamen magis obvios suis in locis tradidisse; cum enim in aliis casibus nonnisi raro incurratur, tum quia sunt casus nonnisi raro occurrentes, tum quia fere ab omnibus invincibiliter ignoratur excommunicatio iis adnexa, eos proinde recensere Institutionum angustiae non patiuntur, ac videri possunt tum penes Lig., tum penes

Pav. *Luce etc.*, ubi eorum catalogus maxima cum praecisione reperitur. Nec raro occurrit tamen aetate, in qua vivimus, nec fere aliquem latet excommunicatio ipso facto inflicta, ac Papae reservata, reservatione quidem generali, sed a qua excusat sola ignorantia invincibilis, tum a Clem. XII. Const. *In eminenti* 28. *Apr.* 1728., tum a Ben. XIV. Const. *Providas Romanorum Pontificum* 1. *Jun.* 1751., tum novissime a Pio VII. Const. *Ecclesiam* 13. *Sept.* 1821. in omnes, et singulos, qui secretas Societates sub nomine sive *liberorum Muratorum*, sive *Carbonariorum*, sive alio quovis nomine nuncupatas audeant *inire*, *vel propagare*, *confovere*, *ac in suis aedibus*, *seu domibus*, *vel alibi receptare*, *atque occultare*, *illis adscribi*, *aggregari*, *aut interesse*, *vel potestatem*, *seu commoditatem facere*, *ut alicubi convocentur*, *iisdem aliquid ministrare*; *seu consilium*, *auxilium*, *vel favorem directe*, *aut indirecte*, *per se*, *vel per alios quoque modo praestare.* Item in omnes, qui omittant *denunciare Episcopis vel caeteris*, *ad quos spectat*, *eos omnes*, *quos noverint iis nomen dedisse*, *vel aliquo ex iis criminibus*, *quae commemorata sunt*, *se inquinasse.* Quod tamen intelligendum est relate ad eos, qui deliquerint post publicationem Bullae Pii VII. Ac demum in omnes legentes, vel retinentes *eorum Catechismos*, *Statuta*, *Codices*, *ac Libros ad eorum defensionem exaratos*, *sive typis editos*, *sive manuscriptos*, ex relata Bulla Pii VII. Quibus et addere quaedam pauca super excomm. in percussores Clericorum lata *C. Si quis* 17. *q.* 4., de qua diximus l. 1. n. 131., cum sit quoque casus, qui non tam raro accidit, operae pretium existimamus.

21. Jam ibi diximus, quandonam percussio dicenda est levis, et quandonam gravis, vel enormis; nec non quando ab ea potest Episcopus absolvere: canonis vero explicatio superaddet quae adhuc scitu sunt necessaria: *Si quis suadente Diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit*, etc. *Si quis*; idest cujuscumque sexus, aut status, etiam impubes, modo rationis compos, et doli capax, ut habetur ex *C. Mulieres*, et *C. Pueris de sent. exc.* Impuberes tamen absolute absolvi possunt ab Episcopo, etiamsi post pubertatem absolutionem petant, et etiamsi percussio fuerit enormis, ut advertit Lig. n. 265. *Suadente Diabolo*; quod non significat *scienter*, unde non excusat ab excomm. ignorantia crassa ipsius excomm., ut advertit Lig. n. 275., sed significat percussionem cum peccato gravi, ex dictis n. 6., non vero ex ira subitanea, ob quam plena advertentia defuerit; vel ex joco, quamvis percussio fuerit gravis, et cum aliqua ira, modo non pervenerit ad mortale; vel ex casu, ut si janitor turbam arcens percusserit Clericum; vel ob defensionem vitae tam propriae, quam uxoris, parentum, filiorum, etiamque rerum magni momenti ex dictis l. 2. n. 182., cum moderamine tamen inculpatae tutelae. *In Clericum, vel Monachum*; per quem intelliguntur Religiosi omnes utriusque sexus, etiamque Novitii in communi viventes sub aliquo Praelato ex expressa, vel tacita Papae auctoritate, quamvis in eorum Communitate non fiat professio: quod et dicit Fagn. in *C. Nullus de foro comp.* de mulieribus conviventibus in Conservatoriis, quamvis Religio non sit adhuc approbata, quia cum reli-

giose vivant, censentur personae Ecclesiasticae; nec non de Eremitis ex voto, aut pacto alicui sacro loco addictis cum subjectione ad Episcopum, vel etiam sub aliqua regula, et obedientia viventibus, edito obedientiae, aut paupertatis voto; non vero vagis, etsi habitum singularem gestent, ac inserviant alicui Ecclesiae, etiam ex commissione Episcopi, ex Decis. Rot. Rom. Idem quoque privilegium tribuit Renzius Seminaristis, nec Lig. improbat n. 271. Licet autem ab excomm. non excuset nec dubium, an ille, qui percutitur, sit, necne Clericus; nec ipsa ignorantia quod sit Clericus, sed intendens illum percutere, sive laicus sit, sive Clericus: ex probabiliori tamen sent. cum Lig. n. 275. excusat ignorantia concomitans, ignorantia scilicet, quod ille sit Clericus, simul cum dispositione animi, ut si id sciret, etiam percuteret, quia in hujusmodi ignorantia adest tantum voluntas interpretativa, quae non est vera voluntas. *Violentas manus injecerit*; ad incurrendam namque excommunicationem requiritur actio, nedum graviter injuriosa, sed et violenta, et quae Clerici personam aliquatenus afficiat. Hinc excommunicationem non incurrit vel qui Clerico clam eripiat crumenam, aut vestem, cum non sit actio violenta, vel qui signum tantum faciat percussionis, sed non percutiat, cum illius personam nullatenus afficiat. Bene tamen in illam incidit qui simul cum signo externe gravi reapse percutiat, etsi leviter, utque scribit Lig. n. 273., *etiamsi levissimus tactus physicus intercedat*: qui per vim, et injuriam de ejus corpore aliquid eripiat, ut pileum, pallium, etc.: qui illum concludat, vel vio-

leniter detineat carcere, vel loco, unde sine dedecore non potest exire: qui illum persequatur, ut in flumen, vel fossam incidat, equo decidat, etc.: qui manus violentas injiciat in equum, cui is insidet, etsi tantum equum sistendo per fraenum: qui illi venenum praebeat, sed ex Lig. n. 280., postquam venenum incoeperit laedere, quia, antequam venenum laedat, non adest violentia effectiva, sed tantum actio apta ad violentiam inferendam. Ac demum cum hic canon editus fuerit in favorem Clericorum, ideoque non stricte, sed latissime intelligendus sit, ut advertit Lig. n. 273.: hinc comprehendit etiam efficaciter mandantes, consulentes, et consentientes; nec non ratihabentes percussionem suo nomine, vel in sui gratiam factam ex *C. Cum quis de sent. exc.*, ipsosque non impedientes, si ad id ex officio teneantur (n. 266., et sequ.).

22. Excusatur autem ab excomm. 1.° Praelatus, praeceptor, ac pater subditum in minoribus constitutum correctionis causa, etsi cum ira, percutiens, etiamque consanguineus curam de eo habens, ut addunt Salm.. Moderate tamen, habita ratione culpae; ut enim scribit Lig. n. 275., S. C. declaravit excommunicatum quemdam Parochum, qui Clericum ejus discipulum, correctionis causa in capite pluries percusserat, ac deinde pugnis, ac baculo verberaverat. Clericum vero in Sacris constitutum Praelatus, et Praeceptor Ecclesiasticus potest quoque verberibus moderate punire, ex *C.* 1. *de sent. exc.*; et probabilius etiam Pater ex eod. Lig. l. cit., utpote cui principaliter, et de jure naturali incumbit filiorum

insolentias compescere. Ac 2.° excusatur ab excomm. percutiens, immo et lethaliter vulnerans Clericum dum, vel continuo post eum deprehendit cum uxore sua, vel alia consanguinea in primo gradu turpiter agentem, ex *C. Si vero.* 3. *de sent. exc.* Non tamen excusatur, si ex industria, vel ex conventione facta cum uxore, etc. eum expectet: nec si cum aliena, vel in alio gradu, ut cum avia, aut nepte, vel cum affine (Lig. ibid.).

Caput III.

De suspensione: ubi etiam de Degradatione, et Depositione.

23. Definitur suspensio *censura, qua Clerico prohibetur exercitium alicujus ministerii sacri.* Diximus *alicujus ministerii sacri*; nam qui exercet ea, quae sunt Ordinis sacri, is, et solus ex suspensionis violatione graviter peccat, et irregularitatem incurrit; unde cum in Sacramento Poenitentiae praemittitur absolutio a censuris omittitur vox *suspensionis*, nisi poenitens saltem sit Subdiaconus. Ut tamen docet Lig. n. 313. contra Suar., et Nav., et a gravi culpa, et ab irregularitate excusatur suspensus, si ea quidem, quae sunt Ordinis Sacri exerceat, sed non *solemniter*, cujus ratio est, quia ex reg. generali *odia restringi convenit*: subjungens tamen n. sequ., quod nec a gravi culpa, nec ab irregularitate excusatur solemniter cum susp. exercens ea quae sunt Ordinis sacri; sive suspensio lata fuerit absolute, et indefinite, maneatque idcirco, donec non tollatur per absolutionem; sive lata fuerit ad certum tempus, quo elapso, ex-

pirct ; ut namque habetur *c.* 1. *de sent.*, *et re jud. in* 6., cum quidam fuerit suspensus ad tempus, et sic ministraverit, fuit expresse declaratus irregularis. Excipitur solum 1.°, si suspensio fuerit lata ab homine per sententiam particularem ob meram punitionem criminis praeteriti, nec prorsus habentis tractum successivum, quia suspensio hujusmodi, ex dictis n. 5., non habet rationem censurae, sed poenae tantum, cum censura sit poena medicinalis, quae nequit ferri ob delictum omnino praeteritum. 2.° Si Praelatus solo verbo dixerit *suspendo te*, quia haec non esset censura, sed simplex prohibitio : cum enim non liceat, ex dictis n. 7., nisi *scripto* censuras ferre, praesumendum non est, quod Praelatus voluerit delinquere, illam *oretenus* ferendo ; nisi, ut ait Lig. *n.* 317., vel de illius mente constet, vel Ordo, cujus est Praelatus, privilegium habeat censuras ferendi absque scripto. Ex eo autem, quod suspensio privat Divinis, quatenus sunt exercitium Ordinis Sacri, quod afficit solum exercentem, infertur cum Lig. n. 313., quod audiens Missam Sacerdotis, tametsi publice, ac nominatim suspensi, nullatenus peccat, modo absit scandalum, et modo ipsi celebranti non inserviat, quod esset grave : invalide tamen absolutionem ab eo acciperet, quia, utpote non toleratus, esset expers jurisdictionis.

24. Triplex quoque distinguenda est suspensio ; ab Officio scilicet, a Beneficio, et ab utroque : ac tam ea ab Officio, quam illa a Beneficio esse potest vel ex toto, vel in parte tantum. Hinc sequitur 1.°, quod cum nomine Officii Ecclesiastici intelligatur usus Or-

dinis, et usus jurisdictionis, et quae utrique sunt adnexa, hinc Clericus ab officio illimitate suspensus, nedum a jurisdictionis usu, sed ab usu etiam Ordinis suspensus est. 2.°, quod cum nomine Beneficii intelligatur ex dictis l. 3. n. 35. *jus perpetuum auctoritate Ecclesiae constitutum percipiendi reditus temporales ob officium spirituale*, hinc suspensus a Beneficio non privatur quidem Beneficii titulo quia secus esset depositio, non poena medicinalis ad hoc imposita, ut reus resipiscat, sed privatur a percipiendis ejus fructibus, quia secus suspensio nihil circa Beneficia operaretur; quos proinde percipiens tenetur in conscientia ad restituendum. Frui tamen potest ex Lig. n. 316. et anniversariis stipendiis Missarum et distributionibus quotidianis, cum talia non sint fructus Beneficii, nec poenae extendi debeant, nisi in jure sint expressae. Ubi etiam docet, quod licet teneatur fructus restituere, si tamen sit occulte suspensus, et munia debita jam impleat, potest sibi retinere quod dare deberet substituto, quia id sibi vindicaret, non tamquam fructus Beneficii, sed tamquam stipendium laboris. 3.° quod cum quaevis ex praefatis suspensionibus distinguatur ab altera, hinc suspensus ab officio non ideo est suspensus a Beneficio, cujus proinde potest fructus percipere, modo per alium suppleat quod per se nequit; ac solum docet Lig. *l. c.*, quod censetur etiam a Beneficio suspensus, si crimen suspensionis causa sit enorme, vel per annum suspensionem contemnat, ex *c. Inter*, 10. *de Purg. can.*, *et ex c. cum bonae etc.*: sicut etiam a Beneficio suspensus non ideo suspensus quoque est ab Officio sive jurisdictionis, sive

Ordinis, tametsi illud ipsi conveniat ratione Beneficii; ex quo sequitur, quod potest eligere, praesentare, ac conferre Beneficium, etsi haec jura illi competant ratione Beneficii, quodque tenetur recitare horas, aliisque Beneficii oneribus satisfacere, licet fructibus non fruatur; quod sibi imputare debet. Suspensus tamen a Beneficio censetur suspensus ab ipsis Beneficiis, quae possideat in aliena Dioecesi, nedum si suspensio sit a jure, quia jus ubique habere debet locum, sed etiam ex Lig. *l. c.* si suspensio sit per sententiam, qua Episcopus exprimat suspendere ab omnibus Beneficiis, quia licet ei non subsint Beneficia alienae Dioecesis, ei tamen subest persona suspensi, quod sufficit. 4.° quod suspensus absolute, intelligitur ab Officio, et Beneficio.

25. Demum cum Lig. diximus l. 3. n. 40., quod acquisitio Beneficii suspensionis tempore non est per se irrita, sed irritanda. Quibus addendum, quod si suspensio lata fuerit in Communitatem, in hoc casu si in eam solam lata fuerit, non afficit singulas personas quoad munia particularia, sed tantum quoad officia, vel Beneficia totius Communitatis; nec si quis tunc exerceat functiones Communitati vetitas incurrit irregularitatem, quia prohibitio illa non est proprie censura, sed potius inhabilitas ad talia officia. Si vero suspensio lata fuerit in Communitatem, et in singulas illius personas, tunc non afficit innocentes, sed tantum delinquentes, cum nemo possit excommunicari, aut suspendi pro culpa aliena.

26. Quemadmodum autem de excommunicationibus, ita et de suspensionibus in particulari sufficiat suis in

locis casus magis obvios tradidisse: quibus tantum addere existimamus quoad Clericos 1.° scienter eligentes Episcopum, vel Parochum indignum, qui suspenduntur a Beneficiis biennio. 2.° Parochos jungentes sponsos alterius Parochiae sine licentia. 3.° Gravantes alienis debitis Ecclesias sibi commissas. 4.° Occupantes bona, vel census Ecclesiae, Beneficii, vel alterius loci pii. Quoad Regulares vero addimus 1.° admittentes ad professionem ante annum probationis peractum. 2.° Non utentes habitu, et vestitu modo sibi praescripto. 3.° Introducentes mulieres in Monasteria. Quoad Episcopos vero addimus admittentes resignationes contra formam praescriptam.

27. Pauca etiam hic loci de degradatione, et depositione, quae licet non sint censurae, subjici tamen solent suspensioni. Definitur degradatio *privatio executionis officiorum, et beneficiorum absoluta, et ex toto sine ulla spe restitutionis, facta cum certis solemnitatibus, et privatione privilegii Clericalis tum fori, tum canonis, per quam reus potestati saeculari traditur.* Depositio vero est *privatio*, de qua diximus, *sed sine solemnitatibus facta, ac relicto privilegio fori, et canonis.* Nequeunt autem Clerici, nisi a suo Episcopo degradari, nec ab inferioribus illo: deponi tamen possunt ab eodem per Vicarium: cumque degradato solus Papa dispensare potest; sed cum deposito etiam Episcopus, si crimen sit minus adulterio.

Caput IV.

De interdicto: ubi etiam de cessatione a Divinis.

28. Definitur interdictum *censura privans baptizatum aliquibus Sacramentis, omnibusque officiis Divinis, et sepultura Ecclesiastica.* Hinc discrimen patet inter excommunicationem, suspensionem, et interdictum: excommunicatio enim privat Divinis, quatenus sunt communicatio cum fidelibus; suspensio, quatenus sunt actus Ordinis; interdictum, quatenus sunt bona Ecclesiae. Et 1.° *Aliquibus Sacramentis*: non enim privat Baptismo, qui ministrari potest tempore interdicti sive infantibus, sive adultis etiam in Ecclesia specialiter interdicta, et cum consuetis Baptismi solemnitatibus: quia c. 19. *de sent. exc. in* 6. permittitur interdicti tempore chrismatis confectio in die Coenae Domini, ut possit adhiberi in administratione Baptismi. Adhibetur autem solum in ejus administratione solemni: ergo... Nonnisi tamen in casu necessitatis, et absque solemnitate conferri potest a Ministro specialiter interdicto. Nec etiam privat Sacramentis Confirmationis, et Poenitentiae, quae omnibus permittitur tempore interdicti susoipere, iis tantum exceptis, qui causam interdicto dederint, tametsi auxilio, et favore; exceptisque etiam personaliter, ac specialiter interdictis, nisi prius praestent satisfactionem debitam, si possint, vel, si non possint, cautionem saltem juratam. Ipsum autem Poenitentiae Sacramentum, etsi illicite, valide tamen conferretur

a Ministro personaliter, ac specialiter interdicto, quod Petrus Colet asserit sine dubitatione, quia licet excommunicatus denunciatus sua spolietur jurisdictione, non tamen interdictus denuntiatus; cum ablatio jurisdictionis nullibi reperiatur inter effectus interdicti. Ex probabiliori demum sententia cum Lig. n. 334. bene licet interdictis Matrimonium contrahere, tum ex c. *Capellanus de Fer.*, ubi dicitur, Matrimonium quocumque tempore posse contrahi, tum quia hoc Sacramentum non a Parocho, sed ab ipsis contrahentibus ministratur. Eucharistia autem nec interdictis tametsi infirmis conferri potest, nisi sint in mortis periculo; in quo casu specialiter interdicti Sacramentum hoc ministrare nequeunt, nisi desint a quibus conferatur; cumque ad infirmos defertur, cum consuetis solemnitatibus fieri potest. Sacramentum quoque Extremae unctionis nec ab interdictis, nec interdicti tempore suscipi, vel conferri posse, docent multi, contradicentibus tamen Lacroix., et Suar., quos Lig. n. 334. non improbat: estque commune 1.°, quod bene conferri potest, et debet morituro, cui non potuerit conferri Sacram. Poenitentiae. 2.°, Religiosos posse interdicti tempore Communionem, et Extremam unctionem recipere. Sacramentum Ordinis vero nec tempore interdicti, nec in loco interdicto, etiamsi Ordinans, vel ordinandus non sit interdictus, licet conferre; ac si alteruter sit interdictus, nec etiam extra tempus interdicti, vel in loco non interdicto.

20. *Omnibusque Officiis Divinis.* Nomine autem Divinorum Officiorum ea omnia hic intelliguntur, quae ex Christi, vel Ecclesiae institutione per se a solis

Clericis fiunt ; ut celebratio Missae , solemnis benedictio nuptiarum , fontis baptismalis , aquae lustralis, etc. ; nec non recitatio horarum , prout solemniter ab Ecclesiae Ministris fieri solet , aut etiam , ut Colet advertit , a Monialibus , quibus per accidens committitur , quod per se solis Clericis competit : non vero pro iis hic intelligitur vel privata ; et in loco ad id non deputato horarum recitatio , quare et Clerici interdicti , sicut excommunicati tenentur illarum pensum persolvere , omittendo tamen *Dominus vobiscum* , cum sit actus hierarchicus ; vel sacra concio ; utpote quae non ad recitandas Dei laudes , sed ad instruendum populum ordinatur ; vel mensae benedictio , recitatio litaniarum sine solemnitate , etc. . . Divinis ergo officiis supra explicatis interdictum privat sub gravi , et sub poena irregularitatis , itaut ipsis quoque interdictis ob alienam culpam nec hujusmodi celebrare , nec iis interesse liceat. Excipiendum tamen est ex *C. Alma Mater de sent. exc. in* 6. , 1.° quod concessum est *in festivitatibus Natalis Domini , Paschae , ac Pentecostes , et Assumptionis Virginis* (nec non et in Festo Corporis Christi , et Conceptionis B. V. , et utriusque octava) , ut *campanae pulsentur , et januis apertis alta voce Divina Officia solemniter celebrentur , excommunicatis prorsus exclusis , sed interdictis admissis : sic tamen , quod illi , propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum , Altari nullatenus appropinquent.* 2.° quod quum Clerici , et Regulares utriusque sexus ipsi interdicti non sunt , possunt , ac debent , ut ante Missam , ac Divina Officia celebrare in eorum Ecclesiis ; *sub-*

missa tamen voce, et januis clausis, excommunicatis, et interdictis exclusis, et campanis non pulsatis. Pro interdictis vero, qui excludendi sunt, ii veniunt, qui fuerint denunciati, ex Const. *Ad evitanda*, de qua diximus n. 11.: quibus post monitionem nolentibus exire, si Missa, ut distinguit Lig. n. 333., celebretur in loco interdicto, ejusque Canon incoeptus non sit, cessandum est a celebratione, ac secus celebrans incurrit irregularitatem, cum non habeatur facultas ibi celebrandi, nisi *exclusis etc.*. Si vero celebretur in loco non interdicto, e quo interdictus nequeat expelli, vel in loco interdicto, sed interdictus denunciatus, qui nolit exire, et expelli nequeat, in eum advenerit post incoeptum canonem, non tenetur celebrans cessare: 1.m quia id nullibi praecipitur; alterum, ut est commune.

3o. *Et sepultura Ecclesiastica*; omnes enim Laici, etiamque infantes sepeliendi sunt in interdicto generali locali, vel personali in loco non sacro; et si forte in sacro sepulti fuerint, exhumari debent, in eo rursum reponendi post interdicti finem, nisi fuerint, ut Colet advertit, specialiter interdicti, vel causam interdicto dederint. Diximus *Laici*; Clerici enim, qui nec specialiter interdicti fuerint, nec causam interdicto dederint, nec illud violaverint, possunt in interdicto generali locali, vel personali sepeliri in Ecclesia etiam cum Missa, sed sine campanarum pulsatione, aliisque solemnitatibus: in Ecclesia vero specialiter interdicta possunt quoque sepeliri, sed si desit alia Ecclesia, et sine Missa.

31. Interdicti natura jam explicata, triplex modo

distinguendum est interdictum, ut innuimus, locale personale, et mixtum. Locale est illud, *quod afficit locum, ne in eo Divina Officia celebrentur, ac ne quisquam ibidem sepeliatur.* Personale est illud, *quod afficit personas, itaut hae nedum in loco interdicto, sed nec in alio quovis loco Divina vel celebrare, vel audire possint, nec in ullo loco sacro sepeliri.* Mixtum est illud *quod ex utroque conflatur.* Tam locale autem, quam personale esse potest generale, vel particulare, ad quod etiam reducitur interdictum ab ingressu Ecclesiae, praeterquam 1.° quod interdictum *ab ingressu Ecclesiae* nec etiam privatim in ea orare permittit: simplex vero interdictum, vel cum addito *a Divinis* permittit in Ecclesia privatim orare, modo non sit tempore alicujus sacrae functionis. 2.° quod illud privat Divinorum officiorum usu tantum in Ecclesia; hoc vero ubique (*Pav. Luce etc. n.* 155.). Ex quo intelligitur interdictum ab ingressu Ecclesiae, cujus meminimus n. 7., nec non l. 2. n. 162., et l. 3. n. 25., et 71.: quibus addendum aliud ex *c. si quis deinceps* 12. *caus.* 16. *q.* 1. in quemvis accipientem dignitatem aliquam Ecclesiasticam e manibus Laici, ipseque Laicus eam conferens, donec revocetur factum, ipsaque dignitas renuncietur: a qua ignorantia etiam crassa excusat Laicum, invincibilis vero Clericum. Suntque cuncta haec interdicta Summo Pont. reservata (*Pav. Luce n.* 157.).

Quibus praemissis, commune est quoad interdictum locale generale 1.°, quod interdicta Civitate, interdicuntur etiam suburbia; et interdicta Parochia, etiam sacellum, vel coemeterium contiguum, non tamen dissitum,

ac distans, tum quia accessorium sequitur principale, tum ex *C. si licitas. De sent. exc. in* 6.; ubi etiam habetur, quod interdicta Civitate per interdictum locale generale, sunt pariter interdictae Ecclesiae exemptae Regularium, nam secus interdictum eluderetur. 2.° quod interdictum locale generale servandum est ab ipso Episcopo, qui illud tulit. 3.° quod Ecclesiarum nomine veniunt etiam Eremitoria, Hospitalia auctoritate Episcopi erecta, non vero, ut advertit Lig. n. 333., Oratoria privata Saecularia. Quoad interdictum vero personale. 1.°, quod interdicto populo, non interdicuntur ii, qui non sunt pars populi, ut studiosi, Clerici, peregrini, etc.: et sic e converso, interdicto Clero, non interdicuntur Laici, ex c. *Si sententia, de sent. etc.* 2.°, quod, interdicto Clero, nec interdicuntur Regulares, qui in favorabilibus tantum sub Cleri nomine comprehenduntur, nisi, ut notat Lig. n. 331., Beneficium, vel Officium in illo populo habeant: nec Clerici, qui ibi non habeant Beneficium, aut Officium, cum non constituant unum corpus cum Clero. 3.° quod si dicatur *cives* (v. g.) *Colonienses sint interdicti*, nequeunt umquam Divina vel celebrare, vel audire, nisi esse desinant tales cives, nec causam interdicto dederint. Si vero civitas interdicto subjiciatur, licet civibus, aut incolis alio ire, et illic Divinis gaudere, praeterquam si causam interdicto dederint, vel fuerint speciatim interdicti, qui nonnisi per absolutionem a censura liberantur. Demum quoad interdictum personale generale, commune est apud DD., quod ab illo eximuntur 1.° Episcopi (qui eximuntur etiam a suspensio-

ne generali). 2.° Innocentes, statim ac alibi domicilium collocent. 3.° Exteri, etsi per multum tempus inter illos cives habitent.

32. Interdictum vero tam generale, quam speciale ferre possunt praeter Papam etiam Episcopi; idque sine consensu Capituli ex consuetudine introducta: Praelati autem Regulares suos subditos quidem, non tamen suas Ecclesias possunt subjicere interdicto. Tam localia autem, quam personalia generalia, quae jure communi sunt imposita, nec sunt reservata, possunt tolli ab Episcopo, vel ab alio jurisdictionem habente in communitatem interdictam: per privilegium tamen absolvendi ab omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale Communitatis, quia locus, et communitas foro poenitentiali non subjacent.

33. Pauca etiam hic de cessatione a Divinis, nam licet non sit censura, affinis tamen est interdicto; et definitur: *Prohibitio Clericis facta, ut abstineant ab Officiis Divinis, et Ecclesiastica sepultura.* Imponi autem potest ab iisdem, qui possunt censuras ferre, praeviis monitionibus, idque in signum moeroris, vel ad reparationem gravissimae injuriae Deo irrogatae, afficitque omnes, qui sunt in loco illo, ubi imponitur, ita ut nec Clerici, ut docet Lig. n. 340., gaudeant privilegio iis concesso tempore interdicti. Sacramenta vero interdicti tempore concessa, cessationis quoque tempore conceduntur, ut ibid. notat Lig.: obiter quoque afferens Decr. S. C., quo sancitum fuit: *Non licere cuicumque etc. (Personis Regalibus tantum exceptis) ad Ecclesias strata sibi deferri fa-*

cere, secus immediate cessandum a Divinis. Quod nisi servetur, Rectores, caeterosque Ecclesiarum Ministros ipso facto excommunicationem incurrere, eamque Ecclesiam habendam esse pro interdicta.

Caput V.

De irregularitate.

34. Definitur haec *obstaculum canonicum susceptionem Ordinum, et susceptorum usum impediens.* Non esse autem censuram, patet 1.° ex *C. Quaerenti de verb. sign.*, ubi Inn. III. interrogatus, quid nomine *censurae* in Bullis Pont. intelligeretur, respondit: *Quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, et excommunicationis sententia valeat intelligi.* 2.° ex eo quod saepe non habet rationem poenae; quumque hujus rationem habet, non tamen poenae medicinalis, sed vindicativae, et ex se perpetuae. Hinc declaravit Ben. XIV. *in Encycl. Inter praeteritas*, quod cum in Jubilaeis, vel privilegiis datur potestas absolvendi a censuris, non comprehenditur irregularitas, nisi expresse addatur. Cum vero sit *obstaculum canonicum*, hinc etiam numquam est ab homine, sed semper a jure: et duplex est, *ex defectu*, et *ex delicto*: nec non esse potest vel totalis, idest *privans omni Ordine suscipiendo, et suscepti exercitio*, cujusmodi semper est quaevis irregularitas ex delicto, vel partialis, idest *privans tantum aliquo ministerio Ordinis, vel solo ascensu ad superiorem.* Sic Sacerdos carens oculis inhabilis est ad Missam, non vero ad Confessiones susci-

piendas : Diaconus sinistro carens oculo inhabilis est ad Sacerdotium, in suo tamen Ordine ministrare potest.

35. Ex tradita autem definitione sequitur, duos praecipue esse irregularitatis effectus, idest inhabilitare ad Ordines, ac impedire exercitium susceptorum; unde graviter peccaret Ordines, immo ipsam tonsuram in irregularitate suscipiens, et Episcopus conferens; quos tamen valide conferri, ac suscipi, commune est apud Lig. n. 342.; nec non qui in irregularitate ea, quae sunt Ordinis Sacri solemniter exerceret, neque enim irregularitas ullo modo privat vel iis actionibus, quas etiam laici exercere possunt, vel usu jurisdictionis, ut Matrimonio assistendi, dandi facultatem audiendi confessiones, absolvendi a censuris, etc. Quoad facultatem vero absolvendi a peccatis, si agatur de *ordinaria*, parit quidem irregularitas inhabilitatem ad illam de novo recipiendam; cum enim haec acquiratur ratione Beneficii, vel Dignitatis, *cui adnexa est animarum cura*, (l. 6. n. 300.), sicut proinde collatio Beneficii, vel Dignitatis hujusmodi irregulari facta est nulla ex mox dicendis, ita et jurisdictio, quae in eo fundatur: non invalidat tamen exercitium jurisdictionis ordinariae, cui superveniat, nisi sit publica per denunciationem, cum de irregularitate tolerata disserendum sit ex dictis n. 11., perinde ac de censuris toleratis. Si vero agatur de jurisdictione *delegata*, hanc illicite quidem, sed valide ab irregulari recipi posse, et exerceri, docet Lig. n. 342., praeeuntibus Suar., Col., ec. *Illicite*, cum non sit actus meae jurisdictionis, sed simul Ordinis. *Valide*, quia, ut ait Col., *jurisdictio delegata non pendet a*

Beneficio, sed solum a voluntate delegantis; et haec nulla lege irritatur quoad irregulares. Ex se tamen patet, Confessionem apud illum factam scienter, et sine necessitate, sacrilegam esse; ipsiusque etiam jurisdictionem per denunciationem cessare. Diximus *duos esse praecipue irregularitatis effectus, ec.*; praefatis enim accensetur quoque privatio Beneficiorum: quibus, ut distinguit Lig. l. c., obtentis ante irregularitatem, iis irregularis non privatur ipso facto ex *c. Ex literis de exc. Prael.*, nec, si irregularitas ei supervenerit ex defectu infirmitatis, iis privandus est a Judice, ex *c. Ex parte de Cler. aegr.*: si vero ob delictum, quia iis non privatur ipso facto, potest fructus retinere, si per se, vel per alium adnexa munia impleverit, Beneficiis tamen privari potest, et debet; immo ipsemet irregularis tenetur statim, nisi magna laboret necessitate, vel nisi petat, et obtineat dispensationem, ea renunciare, cum enim nequeat licite eorum implere munia, nec etiam potest licite illa retinere. Obtentis vero in irregularitate, si Beneficium non requirat exercitium Ordinis sacri, ejus collatio irregulari esset valida, quia provisus posset injunctum officium adimplere; et quidem etiam licita, si agatur de irregulari, qui ob aliquem defectum corporalem non posset Sacerdotium suscipere: si tamen Beneficium requirat exercitium Ordinis Sacri, ejus collatio irregulari, ex probabiliori sent., cui adhaeret Lig. n. 343., et tenacius l. 4. n. 130., nec licita est, nec valida, tum ex verbis Trid. relatis l. 3. n. 40., tum maxime ex eo quod ait idem Conc. *sess. 22. c. 4. de Ref.*, ubi: *Ne aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui aetatem, et caeteras habilitates in-*

tegre habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio: ex quo sequitur teneri ante omnem sententiam ad fructuum restitutionem. Nec illum juvat clausula in Apostolicis literis apponi solita, utpote quae absolvit solum a censuris, non vero dispensat in irregularitatibus.

36. His autem praemissis: nedum certum est, quod nulla incurritur irregularitas, nisi in jure sit expressa, ex *c. Is, qui de sent. exc. in* 6.; sed etiam ex veriori sententia cum Lig. n. 346., et sequ., dubitans sive negative, sive positive, ac sive dubio juris, sive facti, an sit irregularis, prudentem adhibere debet diligentiam, si dubium sit positivum, ut veritatem inquirat, qua non adhibita, gerere se debet, tamquam irregularem; ea tamen adhibita, et adhuc dubitans, potest se habere ut non irregularem, tum quia stat pro eo possessio innocentiae, tum quia nemo in dubio est damnandus. Excipitur tantum dubitans de homicidio a se patrato, qui in utroque foro est irregularis, ex *c. Significasti, c. ad Audientiam, et c. penult. de Homic.*: qua super re advertit tamen Lig. *l. c.*, 1.° quod cum versemur in odiosis, quae *restringi convenit, ex c. olim in §. de verb. sign.*, non sunt proinde praefati canones intelligendi de aliis delictis, quibus adnexa quidem sit irregularitas, sed de iis dubitetur, ac neque de dubio ipsius mutilationis: 2.° quod locum habent, ubi quis certus sit de homicidio, et solum dubitet, an actione sua fuerit, necne illius causa, nam si dubitet, an revera secutum sit homicidium, quod abortus ex gr. fuerit, necne secutus, fuerit, necne animatus, de quo l. 1. n. 129., verius habere se potest ex rationibus supra allatis uti immunem ab irre-

gularitate; praeterquam si remedia adhibita ad procurandum abortum fuerint adeo efficacia, ut regulariter illum producant, quia tunc praesumptio, quae sumitur ex communiter contingentibus, stat pro abortu.

37. Ad incurrendam autem irregularitatem ex delicto requiritur 1.° *peccatum mortale*, tum ex *c. quaesitum de Poen.*, *et c. fin. de hom. in* 6., tum quia irregularitas est poena gravis, et quae difficulter relaxatur: ex quo sequitur, quod excusatus a mortali ex aliqua circumstantia, excusatur etiam ab irregularitate. 2.° *actus exterior*, quia enim de internis nequit Ecclesia judicium ferre, neque etiam poenis canonicis in eos umquam animadvertit. Cum autem in jure conceditur dispensare in irregularitate mentali, mentalis eo loci pro occulta accipitur. 3.° *actus exterior consummatus*, quia *odia restringi convenit.* 4.° ex probabiliori sententia cum Lig. n. 350., *scientia legis Ecclesiae prohibentis*, tum ex C. *Proposuisti dist.* 82., ubi Innoc. I. decrevit, quosdam Clericos incontinentes non esse deponendos juxta Const. Siricii Papae, eo quod eam ignoraverant: tum quia lex Ecclesiastica poenam imponens super crimine a lege Divina vetito novum jus condit; ex quo sequitur, quod illam sine culpa ignorans, peccat quidem contra legem Divinam, non vero contra legem Ecclesiae, unde licet incurrat penam legis Divinae, non tamen poenam incurrit legis Ecclesiasticae. 5.° satis quoque probabiliter ex Lig. n. 351. *scientia ipsius irregularitatis*: licet enim non requiratur scientia poenae, ut ipsa incurratur, quando poena est ordinaria, et talis, ut ex natura ipsius criminis aliquo modo praevideri possit, cum ipsum lumen naturale dictet, malum juxta suam na-

turam esse puniendum, bene tamen requiri videtur, quando poena est extraordinaria; et exorbitans, ita ut ex natura rei ne in confuso quidem praevideri possit; et hujusmodi plane est poena irregularitatis. Ab eo tamen, quod diximus hoc, et praec. n., excipiendum est homicidium, ex quo irregularitas incurritur ab ipsis ignorantibus tam irregularitatem, quam legem Ecclesiae prohibentis: tum quia irregularitas ex homicidio est ex delicto simul, et ex defectu, lenitatis scilicet; tum quia ea imposita est ob intrinsecam indecentiam, quod quis post homicidium in Altari ministret. Praefatis autem positis, tametsi actus sit occultus, ex veriori tamen sententia cum Lig. n. 249. irregularitas incurritur, ut patet ex Trid. *sess.* 24. *de Ref. c.* 6., ubi datur Episcopis facultas dispensandi *in irregularitatibus ex delicto occulto, exceptа ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et aliis deductis ad forum contentiosum.*

38. Tollitur vero irregularitas, si sit ex defectu ex. gr. aetatis, ignorantiae, etc., per cessationem causae: sicut etiam per professionem Religiosam tollitur omnis irregularitas ex defectu natalium, sed quoad Ordines tantum, non vero quoad Praeposituras, et caetera munia; super quibus caeterum possunt quoque Praelati in Capitulo Generali, vel Provinciali cum suis dispensare. Si vero ex delicto, tollitur 1.° per dispensationem; ad quam obtinendam qui plures irregularitates contraxerit ejusdem speciei, puta si pluries cum censura ministraverit, sufficit dicere ex Lig. n. 353., pluries in illas incidisse. Forma autem in iis dispensandi est sequens, vel similis: *Dispenso tecum in irregularitate, quam* (vel *quas*) *ob hanc*,

(vel *illam*) *causam incurristi.* 2.° per baptismum, qui enim homicidium patravit ante baptismum, post illum non est irregularis (n. 352.). 3.° Emissa professione Religiosa, possunt Praelati Regulares cum suis subditis dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto, sicut possunt Episcopi cum suis per *C. Liceat*; sed etiam quoad Ordines tantum, non vero quoad Praeposituras, ut advertit Lig. n. 355. Quoad illam vero ex homicidio, posse etiam Praelatos Regularium in illa cum suis subditis dispensare, etsi homicidium fuerit voluntarium, immo et publicum, contendunt Salm., ex concessione Martini V., Pauli V., et Xisti IV. Sed hac concessione non obstante (scribit Lig. n. 396.), censeo id non posse, quando homicidium est publicum, aut voluntarium, quia *in generali concessione numquam ea comprehenduntur, quae verisimiliter Superior non esset in specie concessurus*, ex reg. 82. Jur. in 6.. Quod si Ben. XIII. concessit Bulla *Pretiosus* Praedicatorum Ordini, et per communicationem caeteris Ordinibus Regularibus (omnes namque tam Mendicantes, quam non Mendicantes inter se communicare in eorum privilegiis, constat, ut scribit Pav. *Luce etc. n.* 320., ex pluribus Pontificum Const.), quod Generalis Ordinis possit cum suis dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, *dummodo non fuerit appensatum, et intra Claustra extiterit consummatum*: praedicta tamen Bulla *Pretiosus* fuit postmodum revocata, ut advertit Lig. 101. a Clem. XII. Const. *Romanus Pontifex*, qua declaravit, omnes concessiones, privilegia, et facultates contentas *in omnibus, et singulis praedictis literis, et Constitutionibus* Ben. XIII. eam vim in po-

sterum etiam *in foro conscientiae obtinere, perinde, ac si illae non emanassent.* Ex quibus concludit Lig. l. c., posse tantum cum subditis dispensare in irregularitate contracta ex homicidio occulto casuali, tum ex priv. S. Pii V., tum quia id quoque Episcopi cum suis subditis possunt, ex dictis l. 1. n. 133.

39. Quaenam sint irregularitates tam ex delicto, quam ex defectu, superest modo, videamus. Et 1.° delicta, quibus irregularitas est adnexa, sunt 1.° iteratio baptismi: 2.° violatio censurae: 3.° exercitium Ordinis Sacri ab eo, qui illud non habeat. 4.° mala susceptio Sacri Ordinis: 5.° crimina infamia, et notoria: 6.° homicidium, et mutilatio injusta. Et quoad 1.m, contrahitur irregularitas per iterationem baptismi tam ab eo, qui *scienter* rebaptizatur, ex *C. 4. Confirmandum Dist.* 50., quam ab eo, qui *scienter* rebaptizat, ex communi sententia, ut colligitur ex *C. Ex Literarum*, ubi declaratur irregularis Acolythus assistens rebaptizationi. Quia vero ab ea non excusat ignorantia culpabilis, ex *C. Quibus, De consecr. Dist.* 4., hinc per illud *scienter* ex Lig. l. c. est hic tantum intelligendum, quod ab ea excusat ignorantia invincibilis. Ab hac tamen irregularitate excusat, saltem probabilius juxta Lig. num. 356., rebaptizatio non solemnis occulta, ex cit. *C. Ex literarum de Apost.*; et probabiliter etiam rebaptizatio ex metu gravi sine intentione, vel sub conditione, uti enim metus gravis excusat a lege Ecclesiastica, ita et a poena per illam imposita: ac nedum citra irregularitatem, sed omnino licite baptizantur sub conditione infantes ab obstetricibus, vel laicis domi baptizati, *si certo non constet*, ut diximus l. 6. n. 58., *de baptismo rite collato*,

sed, *re diligenter perquisita*, vel animi turbatio ob imminens periculum, vel defectus perfectae idoneitatis in baptizante, vel ejus probitas, et veracitas doli incapax non admodum explorata, vel aliud simile rationabilem formidinem ingerant, quod forte Sacramentum non fuerit rite ministratum, cum in re tanti momenti quaevis rationabilis formido de baptismi valore justa sit causa illum sub conditione iterandi. Addit quoque Lig. n. 356., quod ex *C. Ventum est* 1. *q.* esset quoque irregularis, qui baptizaretur ab haeretico declarato absque ulla necessitate; et ex *c. Si quis*, *Dist.* 57. qui differret baptizari usque ad mortis periculum.

4o. Quoad 2.m, fit irregularis qui censura innodatus actum aliquem Ordinis Sacri solemniter exerceat, nisi invincibilis ignorantia excuset. Quare excusatur 1.°, si actus, quem exerceat, sit solum Ordinum minorum. 2.° si, etsi majorum, illum tamen exerceat absque solemnitate, ut Diaconatum sine stola, Subdiaconatum sine manipulo, vel Officium canat, quin tamquam Hebdomadarius Capituli solemniter dicat orationem cum *Dominus vobiscum*. 3.° si id faciat ex ignorantia invincibili. 4.° si censura, qua est irretitus, sit tantum minor excommunicatio. 5.° si actus sit praecise jurisdictionis, non vero Ordinis, ut concionari, Matrimonio assistere, etc. Quare etiam, ut advertit Lig. n. 359., Sacerdos simplex excipiendo Confessiones peccat, sed non incurrit irregularitatem, cum revera exerceat actum Ordinis, quem jam habet, licet careat jurisdictione. Quod tamen intelligendum pro prima vice; si enim denuo Confessiones exciperet, fieret irregularis ex violatione ex-

communicationis, et suspensionis in quas incidit absolvendo absque jurisdictione, de qua nos l. 6. n. 302., et Pav. *Luce etc.* n. 4., e 134, ubi excomm. hujusmodi inter eas recenset Papae reservatas reservatione generali, et a quibus excusat ignorantia etiam vincibilis, et crassa. Notat autem ibid. Lig., quod si duplici censura innodatus actum Ordinis Sacri exerceat, etsi non incurrat duplicem irregularitatem, incurrit tamen unam duplici aequivalentem; ex quo sequitur, quod in petitione dispensationis id exprimere debet.

41. Quoad 3., fit irregularis Clericus scienter, et solemniter ministrans in Ordine Sacro, quem non habet, ex *c.* 1., *et* 2. *de Cler. non ord. min.*; ut non Diaconus Evangelium canens cum stola, non Subdiaconus epistolam canens cum manipulo, non Sacerdos absolvens Sacramentaliter, solemniter baptizans, ec. Diximus *Clericus*; laicus namque ex Lig. n. 359., et l. 6. n. 116. probabilius non incurrit irregularitatem, cum id in jure non sit expressum.

42. Quoad 4., fit irregularis, qui non examinatus, vel non admissus, vel alio sui loco ad examen intruso, sive alio furtivo modo per dolum sese ingerat inter ordinandos: sicut etiam qui suscipiat Ordinem in excommunicatione, aut suspensione, vel ab Episcopo jurisdictionem non habente, vel ante legitimam aetatem, vel sine Dimissoriis. Item qui sine dispensatione Episcopi recipiat eodem die plures Ordines, quorum unus sit sacer, vel Ordinem Sacrum post Matrimonium, etsi non consummatum, renuente uxore. Qui vero per saltum Ordines, etsi minores, susciperet, suspensionem potius incurreret, quam ir-

regularitatem : ac si in iis ministraverit, pro ejus absolutione, etsi occulta, recurrendum esse ad Papam, docet Lig. n. 361., ait enim Trid. : *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.*

43. Quoad 5., crimina, quibus ex jure adnexa est infamia, sunt homicidium, perjurium in judicio, haeresis, simonia, crimen laesae Majestatis, sodomia, adulterium, concubinatus ex dictis l. 2. n. 197., lenocinium, proditio, rapina, exercitium usurarum, invasio Cardinalium, vel Episcoporum, raptus mulierum, sive ad illum cooperatio, duellum, paratio armorum contra parentes, exercitium histrionis cum turpibus repraesentationibus, ita ut non fiat absque peccato mortali. Porro, ut pariant irregularitatem, necesse est juxta omnes, ut sint notoria. Quaeritur tamen, an sufficiat ad id notorietas *facti* per publicam famam, quae reddat crimen ita evidens majori parti viciniae, seu collegii, ubi ad minus sint decem, ut nulla possit tergiversatione celari; vel etiam requiratur notorietas *juris* per confessionem rei in judicio, vel per sententiam Judicis, saltem criminis declaratoriam? Quod praeter notorietatem *facti* requiratur etiam notorietas *juris*, docent Vasqu., Cabassut., Conc., quibus adhaeret Pav. *Luce ec.* n. 191., ex vera, ut ait, ac tuta sententia, ac praxi confirmata, nequit enim Episcopus dispensare in ulla irregularitate ex delicto publico; nec ullus umquam Episcoporum, etsi doctus, ac pius, ab Ordinatione repulit, tamquam irregularem, ac Pontificiae dispensationis indiguum, qui olim fuerit reus alicujus criminis, cui infamia ipso facto ex jure adnectebatur, sed postea

conversus virtutum exercitio a multo tempore se dederit. Quod tamen sufficiat sola notorietas *facti*, docet merito Lig. n. 363., ubi: *Ad incurrendam hanc irregularitatem, requiritur, ut crimen, cui adnexa est infamia, sit notorium notorietate facti, vel juris*; non licet enim distinguere ubi jus non distinguit; nec jura aliud exigunt, nisi notorietatem, quae potest esse juris, vel facti. Quod vero irregularitas ob crimina infamia, et notoria per notorietatem *facti* non indigeat Pontificia dispensatione, sed tollatur per notoriam emendationem, id habetur ex ipsius juris dispositione, idest ex *c. Si duo* 15. *q.* 6.; modo emendatio, ut subdit Lig. n. 364., universim loquendo, saltem per triennium perseveret. Negatur autem quod Episcopus dispensare possit, ut infamis infamia facti ad Sacros Ordines ascendat; cum tantum possit ex eod. Lig. l. c., ut in susceptis ministret, si crimina sint minora adulterio, et reus egerit poenitentiam. Irregularitas vero ob crimina infamia, et notoria per notorietatem *juris* non tollitur, nisi per Papae dispensationem.

44. Quoad 6., inducit irregularitatem homicidium injustum, quod sit voluntarium in se, vel in causa proxime cum eo conjuncta, cujusmodi esset vulnus lethale, porrectio veneni, etc., ex c. *Si quis de homic.*, et *c.* 7. *Trid. sess.* 14.: quam et incurrunt, qui in illud injuste influunt mandando, consulendo, etc., ex *c. Si quis viduam D.* 50., *et c. Significasti* 18. *de homic.* Cum hoc tamen discrimine, quod homicida, etiamsi facti poeniteat ante mortem occisi, verius ex Lig. est irregularis; cum enim physicam mortis causam posuerit, vulnus nempe, venenum, etc.,

haec necessario pergit influere in mortem. Non tamen mandans, vel consulens, efficaciter revocando mandatum, vel consilium ante executionem, cum enim fuerit causa moralis, sufficit quoque, ut eam moraliter auferat, ne amplius moraliter influat, eique imputetur effectus; ac solum neuter excusaretur ab irregularitate, si revocatio mandati, vel consilii, casu non perveniret ad homicidam. In quo casu valde probabiliter uterque excusaretur ab excommunicatione, si occisus esset Clericus, quia revocato mandato, vel consilio, cessaret contumacia ad incurrendam censuram requisita: non tamen consulens ab irregularitate excusaretur, si insinuaverit etiam motivum, vel modum occidendi, quia motivum, aut modus semper pergunt influere (n. 368., et 373.).

45. Simul autem notandum quoad homicidam 1.°, quod ut contrahatur irregularitas ex homicidio, non sufficit, ut quis lethaliter quantumcumque vulneraverit, sed necesse est, ut mors sequatur, ex generali regula, quia *odia restringi convenit.* 2.° sub homicidae nomine intelligendos quoque esse *ex c. sicut* §. *Qui vero*, *et* §. *Cler. de homic.* omnes, qui ad homicidium voluntarie cooperentur; vel sint causa, ut illud celerius, audacius, aut securius fiat, etiamsi, animum tantum homicidae augendo, ut si quis, ait Lig. n. 374., amico rixanti se ostendat ob praefatum finem in rixa, ex qua homicidium sequatur: sicut etiam qui alicui suadeat, ut inimicum occidat, vel se exponat probabili mortis periculo, si postea ipse amicus occidatur; nec non pater associans filium rixantem, ne filius periclitetur, si hic alterum occidat. Subjungens num. sequ., quod si quis ratum habeat

homicidium in sui favorem patratum, irregularitatem ex hoc non contrahit, quia nulla in jure reperitur ratihabentibus imposita. Quare neque etiam est irregularis, qui valens homicidium impedire, culpabiliter illud non impedit, si ad id ex charitate tantum teneatur, esto ex odio non impediat; et satis probabiliter neque etiam, si ad id teneatur ex justitia, cum nec etiam satis constet ex jure. 3.° quod in bello, si hoc sit injustum, esto unus moriatur, omnes sunt irregulares, quia quisque et facit unum corpus cum aliis, et dat operam rei illicitae, et ex se periculosae. Si vero bellum sit justum, *in defensivo*, non fit irregularis Laicus, qui occidat; ac neque etiam Clericus, ipseque in Sacris *cum moderamine inculpatae tutelae* occidens, modo jussus ad pugnandum pergat, nec pro Ecclesia, vel Patria tuenda Laici sufficiant, ex *C. Pervenit, et C. de immun. Eccl.*. *In offensivo* autem, si agatur de Laico, vel Clerico in minoribus, nec Beneficiato, fit irregularis qui occidit, vel mutilavit; non vero, si alii occiderint, vel mutilaverint, ex *C. Petitio.* At si agatur de Clerico in Sacris, vel Beneficiato, neque etiam est irregularis, si alii occiderint, vel mutilaverint, non tamen ipse occiderit, vel mutilaverit, modo in conflictu se adjunxerit pugnantibus, absque eo quod militiae nomen dederit, ex *cit. c.*. Si vero huic nomen dederit, ac tamquam miles pugnaverit, etsi non ipse, sed alii occiderint, vel mutilaverint, fit irregularis, ex Decl. S. C. in *Ipren.*: cum enim Clericus in minoribus nomen dando militiae peccet venialiter, mortaliter vero Clericus in Sacris, vel Beneficiatus, Clericus proinde in minoribus pugnando in bello justo

offensivo non dat operam rei graviter illicitae, in Sacris vero, aut Beneficiatus dat operam rei graviter illicitae: quae cum simul sit ex se periculosa, irregularem illum efficit, si alii, cum quibus unum corpus constituit, occiderint, vel mutilaverint. Ita Ben. XIV. *Not.* 101.; quare et addit, Clericum militiae nomen dantem ipso facto privari Beneficiis, et Pensionibus ex Const. Summorum Pont., ac praecipue Xisti V.. 4.° quod alium occidens ob sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, de quo l. 2. n. 178, et sequ., certe ab irregularitate excusatur ex *C. Significasti* 13. *de homic.*, *et ex Clem. Si furiosus eod. tit.*: immo ex Lig. num. 388., occidens etiam cum eodem moderamine injustum alterius innocentis aggressorem, quia irregularitas ex homicidio non incurritur, nisi cum peccato mortali ex *C. Ex litteris primo loco de homic.*, quod tunc deest. Non excusatur tamen ab irregularitate qui cum gravi culpa moderamen excedat, sed solum valde probabiliter ex Lig. num. 388., et 393. potest cum eo Episcopus dispensare, si crimen sit occultum, cum tunc homicidium reputetur casuale, ac Trid. *C. Liceat* neget Episcopis facultatem dispensandi, tantum si homicidium fuerit voluntarium, quale ad rigorem non est casuale, tametsi nempe cum gravi culpa patratum, sed praeter intentionem. Sicut etiam ab ea non excusatur provocans alterum verbis, vel factis, ac simul praevidens, se facillime aggressionem passurum, si postmodum ob sui defensionem aggressorem occidat, cum det operam rei illicitae, ac proxime periculosae; secus, si id non praevideat. Quid vero dicendum sit de homicidio ob defensionem bo-

norum magni momenti, et pudicitiae, nec non de homicidio casuali, consulatur l. 2. n. 182., 183., 184., et 186. Quibus addimus 1.°, quod ad irregularitatem incurrendam non sufficit quaevis negligentia ad cavendum homicidium, sed quae ad peccatum mortale pertingit, quia ad incurrendam quamcumque irregularitatem ex delicto omnino requiritur culpa gravis ex dictis n. 37.. 2.° quod cum Clericis in Sacris, et Monachis vetetur, ut diximus l. 3. n. 57., agere *absque praevio Indulto Sedis Apost. ob civitatis, vel loci non affectatam indigentiam* officium Medici, vel Chirurgi, idque si cum incisione, vel adustione sub poena etiam irregularitatis ex *C. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi*; nedum proinde irregularitatem incurrunt, si absque incisione, vel adustione illud sine debita peritia exerceant, et exinde mors, aut ejus notabilis acceleratio sequatur, verum etiam, si caeteroqui periti, tamen absque praefato Indulto citra necessitatis casum cum incisione, vel adustione medeantur, et exinde sequatur mors, vel ejus notabilis acceleratio. An vero idem dicendum sit de Clerico Beneficiato, verius censet Lig. n. 385., quod negandum, cum in cit. textu nonnisi de constitutis in Sacris, ac Monachis sermo fiat.

46. Quoad mandantem vero, vel consulentem notandum quoque, excusari quidem ab irregularitate, si non influxerint in homicidium, eo quod constet, homicidium ex alia causa accidisse; ab ea tamen non excusari in dubio, an mandatum, vel consilium fuerit, necne efficax causa homicidii, tum quia possidet mandatum, sive consilium, donec probetur oppositum; tum quia sicut in foro externo damnarentur,

ut irregulares, ita et censendum in interno, qui externo conformari debet semper ac externus falsa praesumptione non nititur. Quia tamen jura loquuntur de iis, qui certe sunt causa homicidii mandando, vel consulendo, vel qui dubie homicidium committunt, non vero de iis, qui tantum dubie ad illud concurrunt, sententiam proinde, quod in tali dubio excusentur, non censet Lig. improbabilem n. 371.

47. Quod autem dictum est de homicidio, idem quoque dicendum de mutilatione sive voluntaria, sive casuali, quamvis propria, ut si quis seipsum castraret, ex c. *Si quis absciderit.* Per eam autem cum intelligatur *abscissio alicujus membri principalis, partis scilicet corporis, quae proprium habet officium ab aliis divisum*, ut oculi ad videndum, auris ad audiendum, manus ad tangendum, etc., hinc ex probabiliori cum Lig. n. 379. irregularis non esset qui amputaret auriculam, cartilaginem nempe illam, quae deservit tantum ad ornatum, et tutelam auris, utpote qua sublata, auditus non omnino tollitur: nec qui alteri auferret digitum, quisque hic sit, contra quod non obstat c. *qui partem D.* 55. *in* 6., ubi declaratus fuit irregularis qui sibi ipsi digitum, vel partem digiti abscidit, cum talis declaratus fuerit in poenam saevitiei in semetipsum, ut ibi dicitur, *quae sibi causa fuit ferrum injicere*: nec qui unum tantum testem alteri abscinderet, quia adhuc hic remaneret aptus, tametsi debilitatus, ad copulam prolificam. Bene vero esset irregularis qui utrumque testem alteri abscinderet, quia ineptus fieret ad generandum: sicut et qui mulieri unam abscinderet mamillam, quia unaquaeque mamilla proprium habet officium: ac demum

qui alteri, tametsi non abscindat, ita tamen sauciet membrum aliquod, ut illud mortuum reddat, quia licet quoad apparentiam non sit mutilatum, revera ablatum censetur, cum non amplius sit animatum, cumque aliis membris communicet (n. 380.). Ab hac tamen irregularitate ob mutilationem bene potest Episcopus dispensare, si crimen sit occultum, ex *c. Liceat*, ubi tantum excipitur illa *ob homicidium voluntarium.*

48. Irregularibus demum ex delicto accensentur rei alicujus haeresis, modo fuerit externata, etsi occulte, eorumque fautores, etc., ex dictis l. 2. n. 93. Atque haec sint satis de irregularitatibus *ex delicto.*

49. Quoad illas vero *ex defectu*, praemittimus, quod in iis, modo non sint de jure naturali, vel Divino, solus Pontifex dispensare potest, non vero Episcopi, praeterquam in illa ex illegitimitate natalium ad solos Ordines minores, et ad Beneficium simplex, nec non in iis, quae certo non constant, cum enim reservatio sit odiosa, locum non habet, ubi irregularitas non sit certa (Lig. n. 400.). Sunt autem 1.° irregulares *ex defectu animae* amentes, epileptici, daemoniaci, illiterati, et neophyti. Et quidem si amentia superveniat Sacerdotio, arcet tantum a ministrando in susceptis Ordinibus quamdiu ea, vel ejus periculum duret judicio Medici, et Praelati. Si vero quis in eam ante illud incidat, subdistinguendum; quod si orta fuerit a vi febris, vulneris, vel alterius passionis transeuntis, ac vere postmodum desierit, ab Ordinibus non arcet: si a causa tamen permanente, et habituali, ut ex laesione organorum, vel humorum, omnino ab iis arcet, tum ex c. *Maritum*

2. *Dist.* 33., ubi: *Non ordinandum . . qui in furiam aliquando versus insanivit*; tum quia admodum raro qui semel insanierit, dein perfecte convalescit. Idem autem, quod de amentibus, dicendum quoque est de epilepticis, et daemoniacis: ac solum docet Lig. num. 399., quod si quis epilepsia affectus fuerit ante pubertatem, et postea perfecte convalescat, non censetur irregularis, quia epilepsia ante pubertatem saepe perfecte curatur. Secus si post pubertatem, et praesertim post 25. annum: quodque si ea Sacerdotio superveniat, non arcet quidem a privatim celebrando cum assistentia Sacerdotis jejuni, qui Missam, adveniente morbo, possit perficere, si tamen raro, idest semel in mense, ea afficiatur, nec spumet, ex c. *Communiter*; ex quo idem quoad obsessos post susceptum Ordinem colligitur. Quoad illiteratos vero, quinam ex hujusmodi capite sint irregulares diximus l. 3. n. 51. Neophyti demum, idest recenter ad fidem conversi, possunt post decennium juxta Toletum ordinari, etiamque antea, si Episcopi judicio bene in moribus profecerint.

50. Sunt 2.° irregulares *ex defectu corporis*, ob quem scilicet vel sint impotentes ad Ordinem exercendum, vel illum absque notabili indecentia exercere nequeant, *orbus sinistro oculo*; pro quo tamen est locus dispensationi. *Coecus*; qui tamen si visum amiserit post Sacerdotium, solet a Pontifice dispensari, ut Sacris operetur; modo absque periculo errandi, et cum alterius Sacerdotis assistentia. *Surdus*, qui ex utraque aure penitus non audiat: cui tamen non interdicitur celebratio, si surditas Sacerdotio superveniat.

Mutus, qui non possit loqui, vel verba integre proferre, vel nisi cum magna difficultate; quod et docet Lig. n. 406. de iis qui loquelam prorsus praecipitem habeant, nec non de adeo blaesis, sive balbutientibus, ut afferant causam risus, aut contemptus. *Claudus*, qui tamen sine baculo nequeat sustentari in Altari. *Mutilus* vel pede, vel manu, vel tantum pollice, aut indice, vel hos ita debiles habens, ut nequeat hostiam elevare, aut frangere, vel demum tribus posterioribus digitis. Nec carens tamen uno, vel etiam duobus digitis, nec sex habens est irregularis, modo sextus aliorum usum non impediat. Nec tantum, ut diximus, defectus corporis, unde oriatur impotentia exercendi Ordines, sed et illi, unde oriatur notabilis indecentia in eorum exercitio irregularitatem pariunt: quo ex capite sunt irregulares qui carent naso, vel hunc habent nimis deformem: is, cui erutus fuerit oculus sive sinister, sive dexter: qui auriculis caret, nisi defectus capillis, aut aliter tegatur: leprosus, vel laborans morbo gallico, qui foris appareat, vel habens faciem ex alio morbo valde maculatam: qui sit labiis corrosis, vel abscissis, vel cum gibba valde enormi. Item nani ita breves staturа, ut ad risum moveant: aethiopes, qui apud nos risum afferrent: hermaphroditi, si qui sunt, etiamsi in iis praevaleat sexus virilis. *Eunuchus* demum propter abscissionem virilium, aut testiculorum factam a Medicis causa morbi, vel ante usum rationis, vel ex injuria alterius, non est irregularis ex comm.; et valde probabiliter ex Lig. n. 417., etiamsi tali abscissioni causam dederit accedendo ad mulierem, a qua,

vel ab ejus marito illi virilia abscissa fuerint, cum nullibi in jure habeatur exinde oriri irregularitatem. Qui vero ex ira, vel zelo castitatis abscindit, vel permittit abscindi sibi virilia, aut testiculos, fit irregularis ex c. *Si quis* 4. *D.* 55.: secus probabiliter ap. Lig. n. 418., si testiculos ad servandam vocem. Super quibus irregularitatibus ex defectu corporis docet quoque Lig. n. 414., quod in dubio, an defectus corporis notabiliter impediat exercitium Ordinis, vel magnam afferat indecentiam, commune est apud DD. ex *c.* 2. *de corp.* vit., posse id Episcopum declarare, sive judicare. Subjungens *n. sequ.*, et 419., quod si aliquis ex praefatis defectibus adveniat ex culpa propria, et quidem gravi, puta si quis cum culpa gravi membrum, vel ejus partem sibi amputaret, is in poenam saevitiei in semetipsum, etiamsi defectus non impediret exercitium Ordinis, nec deformitatem afferret, fieret irregularis, ex *c. qui p.* 6. *D.* 55.; cum quo tamen, si crimen sit occultum, posset Episcopus dispensare ex *c. Liceat*, adhuc si defectus membri sit patens: quodque si attentaverit tantum se mutilare, etiamque occidere, irregularis non esset; quia etsi in *c. Si quis* 7. *D.* 55. dicantur irregulares, *qui hanc rem affectant*, id tamen intelligitur *secuto effectu*, ut ex contextu patet.

51. Sunt 3.° irregulares *ex defectu natalium* illegitimi, utpote viles ratione originis, etsi occulti; modo legitimati non fuerint per subsequens Matrimonium validum, etsi non consummatum, inter illorum parentes, qui fuerint liberi ad ineundum Matrimonium tempore, quo fuerunt concepti; et valde probabiliter ex Lig. n. 422., etiamsi fuerint liberi ad

illud incundum tempore nativitatis, dicitur enim *C. Tanta. Qui fil. sint leg.*, quod proles est illegitima, *si vir vivente uxore sua aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit*, quae verius suscipitur, non per conceptionem, sed per nativitatem. Cui accedit, quod certe ibi Pontifex loquitur de filio nato, cum dicat, illum ab haereditate repellendum: quodque cum dubitetur saltem de irregularitate hujusmodi dubietate juris, non incurritur, cum nulla incurratur irregularitas, nisi expressa sit in jure: ac demum, quod, ut docet Ben. XIV. *in ep. ad Archiep. S. Dom. in Hispaniola* §. 4.: *In dubio debet Judex in bonum, et commoda prolis propensus esse.* Qua super re advertit idem Lig. n. 423., et sequ., 1.°, quod si filius naturalis ante parentum Matrimonium esset Sacris Ordinibus initiatus, licite potest, illo secuto, in iis ministrare, et ad alios ascendere absque dispensatione, quia ex una parte licet peccaverit Ordines suscipiendo, nullum tamen vinculum ob id contraxit irregularitatis, et ex alia jam antiqua irregularitas sublata fuit per subsequens Matrimonium. 2.° quod filii nati ex Matrimonio irrito ob aliquod impedimentum occultum, sed putato valido saltem ab uno sponsorum, censentur legitimi, ex *c. Cum inhibitio 3. §. Si quis de cland. desp.* 3.° quod expositi probabilius censendi non sunt illegitimi, et irregulares: 1.° quia ut quis sit ex hoc capite irregularis, certus de sua illegitimitate esse debet; nec de expositis talis certitudo habetur, cum multoties parentes etiam conjugati filios propter inopiam exponant. 2.° ex Decl. Greg. XIV., qua Pontifex in gratiam Confraternitatis pro expositis decla-

ravit, eos reputandos non esse illegitimos, nisi tales probentur. 3.° quia saltem hujusmodi irregularitas non est in jure satis expressa. Haec tandem irregularitas ex defectu natalium cessat 1.° per professionem Religiosam, sub exceptionibus tamen datis n. 38.. 2.° per Papae dispensationem, qui potest etiam ipsam legitimitatem concedere, quae irregularitatem aufert quoad omnes effectus. 3.° per dispensationem Episcopi, sed tantum ad minores Ordines, et ad Beneficium simplex, nec non ad Canonicatus in Collegiatis, vel ad portiones non integras in Cathedralibus, vel ad alia Beneficia, quibus Ordo Sacer non sit adnexus: non vero vel ad Beneficium curatum, vel ad Canonicatum in Cathedralibus, utpote Ordini Sacro adnexum ex praescripto Trid. *sess.* 24. *c.* 12. Idque etsi agatur de illegitimo occulto: haec namque irregularitas proprie non est *ex delicto*, sed *ex defectu*; nec proinde habetur ab Episcopis facultas in ea dispensandi per *c. Liceat*, cum verius illud *ex delicto* intelligatur ibi de delicto proprio, non de alieno. Quare nec etiam cum tali illegitimo occulto dispensare potest, ut ministret in Ordinibus majoribus susceptis, cum absolute dicatur in jure, quod Episcopi nequeunt dispensare in irregularitate ex defectu natalium, nisi tantum ad Ordines minores. Quae ap. Lig. n. 423., et sequ.

52. Quinam 4.° irregulares sint *ex defectu aetatis*, diximus ubi de Sacramento Ordinis.

53. Sunt 5.° irregulares *ex defectu Sacramenti* Bigami, eo quod bigamus nequit apte significare unionem Christi cum Ecclesia unica ejus sponsa.

Triplex autem distinguitur bigamia, quae ab Ordinibus arcet, inducitque irregularitatem, quae tametsi de jure Ecclesiastico, non tollitur tamen per Baptismum, ut notat Lig. n. 450. ex c. *Si quis viduam* 1. *d.* 34.: scilicet *vera*, idest *proveniens ex Matrimonio successive inito, et consummato cum duabus*; debet namque utrumque esse consummatum, et quidem consummatum juxta dicta l. 6. n. 410., ex c. *Debitum de big.*, ubi expresse exigitur ad bigamiam conjugium commixtione corporum consummatum, quia alias conjux non dicitur, carnem suam cum pluribus divisisse, cum nonnisi per copulam consummatam fiat de duobus una caro. *Interpretativa*, idest *qua quis ex juris interpretatione censetur, ac si revera cum duabus inierit*; *et consummaverit Matrimonium*, ut qui duo contrahit, et consummat Matrimonia, unum validum, aliud invalidum, etiamque ambo invalida, vel ficte: vel ducit, etsi bona fide, immo et invalide, viduam ab alio cognitam; secus, si a nemine cognitam: vel ducit mulierem ab alio corruptam; secus, si a se corruptam: vel cognoscit uxorem, postquam illa adulteraverit, idque, etsi bona fide, ac etsi adulterium sit occultum, vel mulier fuerit vi oppressa. Quorum omnium ratio est, quia haec irregularitas non est ex delicto, sed ex defectu, praefatae significationis, quae in cunctis praefatis casibus deest. *Similitudinaria*, idest *qua quis post solemnem professionem in Religione approbata, vel post Sacrum Ordinem attentaverit, et consummaverit Matrimonium, etsi cum Virgine*: qui enim solemni castitatis voto est adstrictus, censetur cum Christo con-

junctus spirituali quodam Matrimonio; unde si conjungatur alteri per Matrimonium attentatum, quantum in se est, duo celebrat Matrimonia, saltem quoad similitudinem. Porro in bigamia tam vera, quam interpretativa nequit Episcopus dispensare, nec etiam quoad Ordines minores, et Beneficia simplicia: in similitudinaria tamen, etsi publica, id potest etiam quoad Ordines Sacros ex *c. 4. de Cler. conj., et c. 11. qui Cler., vel Mon.*, nisi ob eam irregularis duxerit viduam, vel corruptam, aut ante Ordinationem fuerit cum alia conjugatus, quia tunc bigamia esset simul alterius generis. Praelati vero Regulares bene dispensare possunt cum suis subditis in omni bigamia ex priv. Xisti IV., et Pauli III. Quae ap. Lig. n. 435., et sequ.

54. Sunt 6. irregulares *ex defectu famae* praeter illos, de quibus diximus n. 43., et sequ., illi etiam qui ob delictum parentum, vel ex eorum vili conditione viles reputantur: ut filii eorum, qui damnati fuerint ob delictum laesae Majestatis, filii nati ex meretrice, nec non filii, ac nepotes, haereticorum per viam masculinam ab iis descendentes, ut diximus l. 2. n. 23., modo tamen, ut advertit Lig. n. 363., notorium sit, parentes fuisse haereticos, et in haeresi decessisse: addens quoque, quod ut omnes praefati sint irregulares, opus est, ut nati sint post delictum.

55. Sunt 7.° irregulares *ex defectu libertatis* servi omnes proprie dicti, donec plenam consequantur libertatem: nec non Curiales ex officio, ut Procuratores, Advocati, etc., donec dimittant officium, et ad rationes obligentur. Excipiuntur tamen Admi-

nistratores rerum pertinentium ad Ecclesias, Hospitalia, Orphanos, Viduas, et personas miserabiles, utpote quibus Ecclesia opem suam negare non debet; nec non qui legitimam proximorum agnatorum tutelam susceperint.

56. Sunt 8.° irregulares *ex defectu lenitatis* quicumque voluntarie, active, et proxime concurrant ad mortem alterius, vel ejus accelerationem, vel mutilationem, effectu secuto, etsi juste, ut publicus Minister justitiae, aliique concurrentes ad causae sive probationem, sive executionem. Ita autem sanxit Ecclesia, ut Sacerdos, qui Christi personam gerit, in omnibus se ducat, ut Ministrum pacis, et vivificationis. Hinc sunt irregulares Judex, qui tulerit sententiam mortis, vel mutilationis, ejusque Assessores, ac Ministri exequentes: nec non Notarius eam scribens, quem tamen Nat. Alex., et Cabass. ab irregularitate excusant, ut certe ab ea excusatur illam transcribens. Item testes, qui tamen fuerint voluntarii, et libere se obtulerint ad testandum contra reum, etsi cum protestatione nolendi poenam sanguinis, non vero coacti ad testandum, qui certe excusantur ex Lig. n. 468. Accusatores insuper, vel denunciatores, qui coram Judice saeculari accusent reum de crimine sententia sanguinis digno. Et quidem si accusator, vel denunciator sit Clericus, praeter irregularitatem, quam incurrit, peccat mortaliter, si est in Sacris, vel Beneficiatus, et accuset sine justa causa, vel cum hac accuset sine protestatione nolendi poenam sanguinis: excusatur enim, etsi Clericus, tam ab irregularitate, quam a peccato, ut advertit Lig. n. 468., si reum

accuset, ut proprium damnum, vel etiam suorum propinquorum usque ad 4. gradum, vel suae Ecclesiae, praecaveat, modo aliter damnum caveri nequeat, et facta protestatione nolendi poenam sanguinis, ex *C. Praelatis de homic. in* 6.. De Advocatis vero, et Procuratoribus accusatoris idem dicendum, quod supra de testibus, quod nempe excusantur, si coacti ad tuendum; secus, non excusantur. Quia vero non concurrunt *active*, excusantur ab irregularitate Judices Ecclesiastici degradatum tradentes brachio saeculari: Confessarius hortans reum ad fatendam veritatem, vel acquiescendum sententiae justae: assistentes supplicio, etsi Clerici, si praesentia sua in mortem non influant; quamvis enim Clericis prohibitum olim fuerit *C. Sententiam. Ne Cler., vel Mon.* hujusmodi suppliciis interesse, hic tamen canon vel est abrogatus, vel non obligat saltem sub gravi ex comm. cum Lig. n. 463.; etc. Quia non concurrit *proxime*, excusatur quoque ab irregularitate gladios faciens, aut vendens; legislator leges capitales condens, aut suadens Regi leges ferre; Concionator in genere dicens, puniendos esse Malefactores. Quia demum privatus, ut irregularitatem ex hoc capite incurrat extra judicium, necesse est ex valde probabili sent. juxta Lig: n. 465., ut concurrat ad alterius mortem, hujusve accelerationem *injuste*, *et cum peccato*, hinc ab irregularitate excusatur etiam Confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, ac respondens, Judicem sine personarum acceptione fungi debere suo munere; quin etiam ex Lig. n. 464. consultus a Judice in particulari de reo aliquo, ac respondens ei, esse occiden-

dum: adhortans alios ad occidendum in genere in bello justo, et probabiliter ex Lig. n. 460., adhortans quoque in bello justo ad occidendum in particulari, cum jus loquatur tantum de occidente, vel mutilante, non de exhortante: qui infirmum vertendo, transferendo, etc., ejus mortem indeliberate acceleret, cum non sit hic defectus lenitatis, sed actus charitatis, qui ex se non tendit ad accelerationem mortis, sed ad infirmum levandum: ac demum qui ex indeliberatione, aut cum semiplena tantum advertentia ad mortem alterius, vel ejus accelerationem, etsi proxime, concurrat, ut Confessarius, qui ultimo supplicio perimendo assistens ex indeliberatione dicat *properemus*, aut instiget jumentum, quo reus vehitur, etc. Etsi autem in hac irregularitate nequeat Episcopus dispensare, etsi occulta, utpote *ex defectu*, Praelati tamen Regulares, ut docet Lig. n. 468., possunt in ea dispensare cum suis subditis, sive occulta sit, sive publica, utpote cum quibus concessum iis est dispensare in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario. Quae omnia ad Dei gloriam, ac animarum salutem sint.

FINIS TOMI QUARTI.